COMMENTARII
DE REBUS
IN
SCIENTIA NATURALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLUMINIS XXXV. PARS IV.

LIPSIAE, MDCCXCIII.
APUD IOH. FRIDERICUM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Pr. Elmsly, Edinburgi apud Elph. Balfour, Lugd. Bat. ap. Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi Iunior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Mediolani apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Guibert et Orgeas, Florentiae apud Ios. Molini, Holmiae apud M. Swederum, Lisbonnae apud M. Borell et Socios, Lausannae apud I. H. Pott.

I.

Biblioteca fiſica d'Europa, oſſia Raccolta di oſſervazioni ſopra la Fiſica, Matematica, Chimica, Storia naturale, Medicina ed Arti. Di L. BRUGNATELLI, Dottore in Filoſofia e Medicina, Socio di diverſe Accademie ec. ec. In Pavia. Nella Stamperia del R. I. Monaſtero di S. Salvatore. 8. Tom. I. 1788. pagg. VIII. et 151. tab. aen. 1. — Tom. II. 1788. pagg. 181. tab. aen. 1. — Tom. III. 1788. pagg. 167. tab. aen. 1. — Tom. IV. 1788. pagg. 158. — Tom. V. 1788. pagg. 167. — Tom. VI. 1788. pagg. 168. tab. aen. 1. — Tom. VII. 1789. pagg. 159. — Tom. VIII. 1789. pagg. 158. tab. aen. 1. — Tom. IX. 189. pagg. 160. — Tom. X. 1789. pagg. 166. — Tom. XI. 1789. pagg. 160. — Tom. XII. 1789. pagg. 88. et LXX. — Tom. XIII. 1790. pagg. 160. — Tom. XIV. 1790. pagg. 160. — Tom. XV. 1790. pagg. 160. — Tom. XVI. 1790. pagg. 160. — Tom. XVII. 1790. pagg. 160. tab. aen. 1. — Tom. XVIII. 1790. pagg. 160. — Tom. XIX. 1791. pagg. 168. — Tom. XX. ed ultimo. 1791. pagg. CXXXVIII.

i. e.

Bibliotheca phyſica Europae, ſive collectio obſervationum ſuper phyſica, mathematica, chemia,

mia, hiſtoria naturali, medicina artibusque
Edente LUDOVICO BRUGNATELLI, philoſ
phiae ac medicinae doctore, ſocio variarum
academiarum etc. Tomi viginti, cum fi
aenn.

Hanc bibliothecam clariſſimus BRUGNATELLI
eo conſilio evulgare inſtituit, ut recentiſſim
in diſciplinis experimentalibus artibusque obſerva
nes inventaque tam exterorum quam Italorum e
ſuis civibus protinus communicaret, eaque re
rum diſciplinarum ſtudium in Italia pro viribus
moveret. Quae in ea continentur, partim ab
auctoribus cum editore communicata, partim
bris iam editis deſumta ſunt; ut non ſoli Itali
exteri quoque huius bibliothecae theſauris ſuo
fructu uti poſſint. Quotannis ſex tomi prodie
viceſimusque opus, certe quatenus bibliotheca
dit phyſica (qua de re ad finem huius recenſionis
cendi erit occaſio), finiit. Nos ſingulorum tom
rum contenta iam videamus.

Tom. I. p. 1. I. H. B. DE SAUSSURE *defenſio hygrometri* *pillaris* **). In hac ſcriptione clariſſ. SAUSSURE ſuam hygrometriae theoriam omnium fere phyſi
rum applauſu exceptam inprimisque hygrometrum

*) In primis tribus tomis nulla fit BRUGNATELLI tanquam editoris mentio, ſed opus a pluribus e toribus anonymis profectum videtur. In quarti d mum titulo nomen BRUGNATELLI ut editor legitur.

**) Eſt verſio italica libelli Sauſſuriani: *Défenſe de l hygromètre à cheveu, pour ſervir de ſupplement Eſſais ſur l'hygrometrie. Par* H. B. DE SAUSSU RE. *Genève, chez Barde.* 1788. 8.

propoſitum contra virorum clariſſimorum, DE LUC, CHIMINELLI *) et IO. BAPTISTAE obiectiones defendit. Decem priora capita *Lucianas* ſpectant obiectiones. — *Cap. I* De humiditate aëris campana humectata incluſi tanquam limite humiditatis extremae. — *Cap. II.* Continuatio eiusdem argumenti. Argumenta huius rei a theoria deducta. — *Cap. III.* Confirmatio eorundem principiorum ratione habita roris tam naturalis, quam artificialis. — *Cap. IV.* De natura oſſis balenae (conſtat, huiuscemodi eſſe hygrometrum Lucianum) reſpectu hygrometriae, graduque talis hygrometri humiditatem aëris vaporibus ſaturati indicante. — *Cap. V.* De hygrometri Luciani variationibus irregularibus ſub campana humectata. — *Cap. VI.* De limite ſiccitatis extremae. — *Cap. VII.* De retrogradatione (vitio nonnullorum capillorum, qui in humiditate extrema prolongari incipiunt, poſtque contrahuntur). *Cap. VIII.* Experimenta critica clariſſimo DE LUC propoſita. — *Cap. IX.* De ſyſtemate hygrometriae Luciano. — *Cap. X.* De greſſu hygrometri capillaris in aëre rarefacto. — De CHIMINELLI et BAPTISTAE obiectionibus clariſſim. auctor diſputat in tomo huius bibliothecae altero.

*) Ricerche ſulla comparabilità dell' igrometro: memoria del Sig. Ab. CHIMINELLO, aſtronomo aſſiſtente al P. Oſſervatorio di Padova, membro delle r. academie delle ſcienze di Siena, Padova e Mantuim: che riportò un premio dall' academia delle ſcienze Teodoro-Palatina di Manheim per il 1783. traduzione dal franceſe curata dal giornale enciclopedico di Vicenza. Vicenza, appreſſo Turra. 1785. 8.

p. 45. II. *Dissertatio de effectu aëris inflammabilis in corpora organica.* *Auctore* SAGE. (Recitata in academia regia Parisina.) Docetur, aërem inflammabilem contextum corporis animalis dissolvere atque destruere. Nam cum clariss. CHARLES ranas in lagenam aëre impletam inflammabili immisisset, protinus vita perierunt, duabusque aut tribus hebdomadibus elapsis apparuit, cadavera in fluidum coloris cinerei subrubicundi soluta fuisse. Etiam partes cartilaginosae consumtae erant, adeoque ossa non amplius cohaerebant. Quod experimentum ut clarissimus SAGE repeteret, ranam lagenae aëre inflammabili plenae addidit. Intumuit animal, emisitque liquorem sanguinolentum, cuius copia quotidie crescebat. Tardius longe fuit cadaveris dissolutio, quam in clarissimi CHARLES experimento, idque propterea, quod illa tentamen mense Iulio, SAGIUS Februario instituit. — Praeterea vidit CHARLES, ranas lagenis aëre nitroso, acido mephitico, aëre dephlogisticato plenis immissas perire quidem, sed tamen suam post mortem formam conservare, neque in saniem fatiscere. — Dissolutio corporum organicorum per aërem inflammabilem SAGIO videtur haud male applicari posse ad rationem reddendam eorum morborum, qui homines in locis degentes paludosis tempestate anni calida adoriuntur. — Denique SAGIUS coniecturam super mechanismo digestionis proponit. Cum magnam vim aëris armosphaerici una cum cibis in ventriculo decomponendam deglutiamus, cumque aër dephlogisticatus, qui in principiis est aëris atmosphaerici, in aërem inflammabilem transformari, aut portionem materiae oleosae in alimentis contentae in aërem inflammabilem mutare videatur, suspicatur S., hunc ipsum aërem inflammabilem cibos solvere, adeoque eorum in chylum transmutationem promovere.

III. Ma-

III. *Meditationes de hodierno ſtatu aſtronomiae.* p. 47.
Auctore DE LA LANDE. (Praelectae in academia Divionenſi.)

IV. *De rectificatione aetheris vitriolici, inprimis* p. 63.
uſus, qui in artibus uſurpatur, epiſtola, quam ad cla-
riſſ. DE LA METHERIE *ſcripſit* PELLETIER, *mem-*
brum collegii pharmaceutici Pariſini. Qui deſtillatio-
ne partium aequalium olei vitrioli ſpiritusque vini
per apparatum Woulfianum aether obtinetur, ſem-
per inquinatus eſt acido ſulphureo, quantumvis di-
ligenter hanc deſtillationem inſtituas. Is ut ab hoc-
ce inquinamento purgetur, vulgo ſalium alcalino-
rum aut terrae calcareae interventu neutraliſatur,
poſtque denuo deſtillatur, qua deſtillatione aether
prodit rectificatus. Sed cum in his proceſſibus ali-
quid aetheris evaporet pereatque, clariſſ. PELLETIER
aliam excogitavit eius purgandi methodum, innixam
illam magneſiae nigrae proprietati acidi ſulphurei ab-
ſorbendi, atque ita comparatam, ut nihil non aetheris
recuperetur. Aetherem rectificandum lagenae infun-
dit, eique adiungit magneſiam nigram in pulverem
ſubtiliſſimum reductam ea doſi, ut omne acidum ſul-
phureum abſorberi queat, hancque miſcelam quoti-
die ſaepius verſat. Octo diebus elapſis, in fundo va-
ſis ſal apparet a vitriolo magneſii nihil prorſus dis-
crepans. Aether huic ſedimento ſupernatans omni
caret acido; cumque haec rectificatio in vaſis clauſis
fiat, ac nullum fluidum elaſticum evolvatur, nihil
aetheris perit. Adde quod haec operatio, quoniam
magneſia nigra non magno conſtat, ſumtibus per-
quam exiguis poteſt abſolvi; ut, ſi aetherem ad uſus
technicos parare placeat, nihil amplius deſiderari que-
at. — Sed quod illum aetherem ſpectat, qui uſui
medico dicatus eſt, PELLETIER ſuadet, ut per al-
cali fixum rectificetur. Scilicet hic ſal alcalinus ae-
theri aufert non modo acidum ſulphureum, ſed et-

iam oleum dulce, quod aetheri admiſtum eſt, quodque noſtro una cum aethere produci videtur. Obſervavit etiam, cum aetherem eundem ſuper alcali fixo ſaepius deſtillaret, illum in quavis rectificatione aliquid olei dulcis amittere, tandemque ſaporem nancisci longe gratiſſimum. Aetherem ab oleo dulci etiam per terras ſeparare ſtuduit, ſed variis hoc conſilio experimentis captis iam praefert alcali fixum abratum. — Aetherem oleumque dulce arbitratur eſſe producta, quae iam formata prius in vini ſpiritu non fuerunt. Utraque corpora de noſtri ſententia ſuam debent originem principiorum combinationi, quae fit, dum vini ſpiritus cum acido vitriolico tractatur, novaque experimenta, quod P. pridem ſuſpicatus eſt, confirmare ei videntur, ab aëre acidi vitriolici dephlogiſticato generationem aetheris oleique dulcis dependere, novamque doſin aëris dephlogiſticati haec ipſa corpora deſtruere novaque producere poſſe.

p. 66. V. *Relatio de vi ſentiendi Averrhoae.* Scripſit BRUCE, *M. D.*, *ad* IOSEPHUM BANKS. Averrhoa Carambola L. vi ſua ſentiendi quodammodo accedit ad illas mimoſae ſpecies, quae nomine plantarum ſenſitivarum inſigniuntur, quandoquidem ipſius folia, ſi ea contingas, motum contrahunt admodum ſenſibilem. In mimoſa facultas ſeſe movendi ad ramos extenditur, id quod in Averrhoa Carambola ob ligni ſoliditatem non obſervatur. Huius in A. C. motus phaenomena clariſſ. BRUCE diligenter hoc loco perſequitur. Vidit, demonſtratque, facultatem tum ſenſus quam motus proprie in petiolo, non in ipſis foliis, ſitam eſſe. — Folia etiam tum celeriter moventur, ſi ſcintillas electricas, etſi leves, excipiunt. — Obiter de ceteris huius generis ſpeciebus a LINNAEO indicatis genericaque deſcriptione Averrhoae Linnaeana.

VI. *Epi-*

VI. *Epiſtola* ALEXANDRI VOLTAE, *patricii Comenſis, ſocii variarum academiarum et profeſſoris publici phyſices experimentalis in univerſitate Ticinenſi ſuper meteorologia electrica. Epiſtola prima.* Cum harum epiſtolarum, ad LICHTENBERGIUM, profeſſorem Gottingenſem, a clariſſimo auctore datarum verſio germanica paretur, in iis recenſendis nunc non occupabimur, ipſarum contenta in illius verſionis recenſione enarraturi. p. 73.

VII. *Litterae* LAURENTII CRELLII, *profeſſoris Helmſtadienſis, ad* L. BRUGNATELLUM *die* 17. *Ianuarii* 1788 *datae de rebus variis ad chemiam pertinentibus.* Probat CRELLIUS BRUGNATELLI explicationem motus variorum corporum regni vegetabilis aquae innatantium, creditque hunc eorum motum non ab electricitate, ſed potius ab evolutione rapida olei aetherei repetendum eſſe *). — Acidum nitri dulcificatum cum alcali volatili gignere nubeculam longe denſiorem, quam acidum purum. — De WESTRUMBII methodo acidi Boruſſici ratione commodiſſima praeparandi. Calcinantur oſſa, donec colorem contrahant in nigrum aut cinererum vergentem, tumque cum acido vitriolico et pauxillo aquae deſtillantur. Sic in excipulo acidum memoratum obtinetur. — Si oſſa vetuſta, aut, quod etiam melius, recentia cum alcali fixo calcinentur, bonum lixivium ſanguinis ſ. alcali phlogiſticatum parari. — GIRTANNERUM demonſtraſſe, aquam deſtillatam, omnique aëre fixo puram, tamen ferrum ſolvere; ſed alcali phlogiſticatum nihil pigmenti caerulei deturbare, niſi aliquot guttas acidi adfuderis. — De Klap- p. 138.

*) Egit hac de re in peculiari ſcriptione B. annalibus ſuis chemicis (Tom. I.) inſerta. Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXV. p. 12 ſ.

rothiana chryſopraſii analyſi Achardianae oppoſita. — Clariſſimum NOSE plumbum acido phoſphori mineraliſatum reperiſſe ad Rhenum. — Si acidum muriaticum dephlogiſticatum cum acido Boruſſico iungatur, ferrum tinctu viridi imbutum praecipitari, ſed colorem protinus reſtitui, ſi acidum ſulphureum adiungatur.

Nova literaria.

p. 141. A. *Obſervationes et inventa.* De ſalutari ſaccharo uſu interno externoque in malis ſcorbuticis etc. obſervationes IMBERTI. — De HERMBSTAEDTII methodo aërem dephlogiſticatum ad uſus medicos facile paucisque impenſis parandi — De ROB. WAL. DARWINI experimentis ſuper ſpectris ordinariis lucis colorisque. Conſtat, ſi oculum in rem ſplendidam diu fixum tenueris, imaginem huius rei aliquamdiu viſibilem manere poſtquam oculus clauſus aut aliorſum converſus eſt. Hoc phaenomenon cl. riſſ. DARWIN ſpectrum oculare appellat. Species eius enumerat, ſingularumque rationem reddit. E variis obſervationibus concludit, retinam eſſe membranam compoſitam e fibris muſcularibus ſubſtantiaque medullari. — De tinctura antimonii ſaponacea a SELLIO deſcripta. — De ALEX. VOLTAE experimento, quo electricitatem oriri poſitivam, ſi vapores condenſentur, clariſſime demonſtravit *).

p. 150. B. *Relationes de libris novis* (ad hiſtoriam naturalem, phyſicam, chemiam, matheſin, artem medicam etc. pertinentibus). Nonnullorum recenſiones, nunc breviores, nunc longiores, dantur, ceterorum tantum tituli indicantur.

*) Agitur hoc de experimento in epiſtolis ALEX. VOLTAE ad LICHTENBERGIUM.

I. *Diſſertatio de mutationibus nonnullorum humorum animalium per morbos actionemque remediorum.* *Auctore* DE FOURCROY. Primo loco de immutationibus agitur, quas bilis in variis morbis aut per actionem nonnullorum remediorum ſuſtinet. Deinde alteratio urinae tractatur. Poſtremo inquiritur, quid ſit ſanguinis, quae dicitur, putrefactio in nonnullis febribus acutis inque variis affectibus chronicis. To. II. p. 1.

II. *Diſſertatio ſuper decompoſitione alcali volatilis.* *Auctore* WOULFE. Docetur, alcali volatile deſtrui, dum ſal ammoniacus cum acido nitroſo deſtillatur. Omnino phaenomena huius deſtillationis recenſentur. p. 20.

III. H. B. DE SAUSSURE *defenſio hygrometri capillaris.* (*Continuatio.*) *Cap. XI.* Reſponſio ad obiectiones CHIMINELLI. (CHIMINELLI hygrometrum eſt tubus pennae anſerinae hydrargyro repletus.) — *Cap. XII.* obiectiones P. IO. BAPTISTAE. (B. loco capilli adhibet ſegmentum tunicae villoſae inteſtinorum [*baudruche*], ceterum hygrometri Sauſſuriani mechaniſmum fere ſervans.) Ad finem huius defenſionis S. monet, ſibi adhuc perſuaſum eſſe, capillum, etſi vitio non omni careat, inter omnia corpora hoc conſilio hucusque tentata ad hygrometra conſtruenda longe aptiſſimum reperiri. p. 25.

IV. *Experimenta et obſervationes ſuper terra ponderoſa etc.* *Auctore* G. WITHERING, *M. D.* (*Recitata coram ſocietate regia Londinenſi.*) *). p. 44.

V. *Enumeratio inventorum primariarum anni 1787. in variis partibus ſcientiarum experimentalium.* *Auctore* DE LA METHERIE. Prodiit in diario phyſico p. 69.

*) Prodierunt in transact. philoſoph. Vol. 74. 1784, ac germanice verſa exſtant in *Sammlungen zur Phyſik und Naturgeſchichte*, 3. *B.* p. 737. *ff.*

ſico Pariſino anni 1788, unde eam editor huius bibliothecae deſumſit. Non finita eſt hoc in tomo.

p. 87. VI. *Epiſtola* IO. SERAPHINI VOLTAE ad L. BRUGNATELLUM *de elementis mineralogiae analyticae et ſyſtematicae.* Epitomen continet novi operis elementaris mineralogici a VOLTA in uſum ſtudioſae inventutis Italicae anno 1787 editi. Agitur inprimis de nova VOLTAE theoria ſuper geneſi corporum cryſtalliſatorum, quae deſcriptionem methodicam mineralium praecedit, quam ipſe in novis additamentis editioni Crononenſi inſertis clarius expoſuit. Cum omnis cryſtalliſatio ab attractione dependeat electiva duorum diverſorum principiorum, quae mutua trahuntur affinitate, primum VOLTA haec omnia principia ſecundum methodum ill. DE MORVEAU in *diſſolventia* atque *baſes* dividit, quod ex illorum variis attractionibus electivis oritur, *compoſitum minerale* nuncupans. Monet, principium diſſolvens, quod cum diſſolvente chemico confundi non debet, eſſe aut *incombuſtile*, aut *combuſtibile;* illud acida, hoc *phlogiſton* ſ. principium inflammabile conſtituit. Baſis aut eſt *inſipida*, aut *ſaporoſa;* illa *principium* exhibet *terreum*, haec *principium ſalinum.* Quotiescunque baſis a diſſolvente ipſi affini attrahitur, datur ſolutio, hincque tum naſcitur productum figurae ſimplicis, regularis, conſtantis, quod *cryſtalliſatio* audit. Generatio corporum organicorum pariter ratione magis minusve viſibili ſequitur naturalem duorum ſexuum diverſorum affiniumque appetitum mutuum, a quorum connubio *fecundatio*, hincque principium evolutionis figurae compoſitae regularis ac conſtantis, quae *organiſatio* vocatur, dependet. Hac analogia motus VOLTA leges evolutionis corporum organicorum corporibus cryſtalliſatis accommodat; ut adeo ſecundum has leges omnis materies creata in ſuo per tria naturae regna circuitu duas ſolas formas, orga-

organicam et cryſtallinam, evolvat ac propaget. Diſſolvens igitur definit principium maſculinum, activum, mineraliſans, quod ubi baſes affines adgreditur, eas ad corpus figurae regularis evolvendum aptas reddit. Baſis ipſi videtur principium femineum, paſſivum, mineraliſabile, quod diſſolvente affini tanquam humectatum fluidum fit, ſicque combinationem mineralem tumque cryſtalliſationem ſubit. Ad rationem vero reddendam figurarum corporum cryſtalliſatorum ſemper conſtantium ac definitarum utitur *V.* hypotheſi praeexiſtentiae germinum a phyſicis in regno animali vegetabilique probata; vulgaris enim opinio, cryſtallos per appoſitionem moleculatum figuratarum exteriorem formari, non magis ipſi probatur, quam theoria de moleculis organicis atque epigeneſi reſpectu formationis corporum organicorum probata fuit. Germina corporum cuiuslibet naturae regni conſiderat *T.* tanquam figuras ſimplices geometricas corporis generandi, quae ubique locorum ſparſae ſunt, atque facile illis locis adhaereſcunt, ubi evolvi commode poſſunt. Sed germina corporum cryſtalliſatorum ſunt ſimpliciſſima, h. e. e ſolis angulis lateribusque formata, id quod in corporibus organicis aliter habet, ubi in uno eodemque germine multae aliae figurae continentur. — Duas modo claſſes mineralium *V* conſtituit: altera *acidata*, altera *phlogiſtica* complectitur. Principium mineraliſabile, ſeu terreum, ſeu ſalinum, principio iunctum mineraliſanti acido minerale acidatum ſiſtit. Idem principium cum phlogiſto copulatum minerale exhibet phlogiſticum. Duas iſtas claſſes in duos ordines dividit, unde quatuor claſſes recentiorum ſyſtematum analyticorum, ſales, terrae, bitumina, metalla, emergunt. Sapor perfectaque in aqua ſolubilitas characteres ſunt mineralium acidatorum ordinis primi, quae ſales vocantur: inſipientia et imperfecta in aqua

ſolu-

ſolubilitas characteres conſtituunt ordinis ſecundi, terrarum. Levitas, facilis combuſtio et electricitas poſitiva mineralia denotant phlogiſtica ordinis primi, bitumina: e contrario gravitas, combuſtio difficilis et negativa electricitas notae ſunt ordinis alterius, metallorum. Quilibet porro ordo in noſtri ſyſtemate aliquot familias complectitur, quae ſubdiviſio a diverſis characteribus baſium particularibus deſumta eſt. Familiae rurſus diviſae ſunt in genera pro qualitatibus ſpecificis diſſolventium baſibus iunctorum, miſturis in ſingulis mineralibus dominantibus degradatione baſium etc. Denique genera ſpecies ac varietates continent indicatas nominibus illuſtratasque ſynonymia mineralogorum atque ſuccincta deſcriptione characterum externorum et internorum, locorum, ubi inprimis reperiuntur, uſusque, quem in medicina, oeconomia artibusque praeſtant. In appendice agit *V.* de petrefactis, eorumque originem, varias claſſes, diverſos metamorphoſis gradus, denique methodum nonnulla arte parandi breviter tradit *).

p. 95. VII. *Obſervationes ſuper viribus ſedantium in ictero. Auctore* DE CHAUX, *patre, medico noſocomii Divionenſis.* Cauſis icteri breviter indicatis, de ſalutaribus effectibus narcoticorum hoc in morbo agitur.

p. 103. VIII. *Epiſtolae* ALEXANDRI VOLTAE *ſuper meteorologia electrica. Epiſtola altera.*

IX. *Ob-*

*) De geneſi mineralium LINNAEUS ſimiliter ſenſiſſe videtur, quod ipſe VOLTA adnotat. *Aqua oceani*, inquit (Syſt. Nat. T. III. p. 8. edit. XIII.), *obſervatur in ſinu ſuo intimo praegnans gemino foetu: maſculo ſolubili, acri, claro, cryſtallino ſalino; feminео fixato, viſcido, opaco, attractorio terreno.*

IX. *Obſervationes ſuper uſu acidorum ad linteap. 143.
alba reddenda. Auctore* KASON, Praelectae in ſocietate Mancheſtrienſi *).

Nova literaria.

A. *Obſervationes et inventa.* Deſcribitur FONTANAE methodus kermes minerale parandi **). p. 146.

B. *Praemia ab academiis propoſita.* p. 148.

C. *Relationes de libris novis.* p. 155.

I. *Examen phyſico-chemicum colorum animalium.* To. III.
Auctore Com. MOROZZO. *Pars prima.* Recitatum in p. 1.
academia regia ſcientiarum Taurinenſi ***).

II. *Enumeratio inventionum primariarum anni* 1787. p. 15.
in variis partibus ſcientiarum experimentalium. Auctore DE LA METHERIE. (Continuatio.)

III. *Diſſertatio march.* DE BRÉZÉ *ſuper granorum conſervatione, qua continetur reſponſio ad programma academiae regiae ſcientiarum Taurinenſis.* p. 41.

IV. *Obſervationes ſuper ſenſibilitate vegetabilium.* p. 61.
Auctore TH. PERCIVAL, *M. D.* Praelectae in ſocietate Mancheſtrienſi †).

V. *Sup.*

*) Evulgatae ſunt in actis huius ſocietatis, Tom. I. pag. 188. ff. verſ. german., quam debemus exper. HEBENSTREITIO.

**) Deſumta haec ſunt ex actis academiae Taurinenſis. Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXIII. p. 221.

***) Publici iuris factum eſt in eiusdem academiae actis. Vid. Comment. noſtr. Vol. eod. p. 226.

†) Prodierunt in actis huius ipſius ſocietatis, Tom. II. p. 48. ff. verſ. german. Cum horum actorum bonae frugis pleniſſimorum recenſionem mox dare conſtituerimus, hic PERCIVALI obſervationes ſilentio praeterimus.

p. 75. V. *Supplementum ad diſſertationem praecedentem complectens varias alias obſervationes ſuper planta ſenſitiva.*

p. 79. VI. *Epiſtolae* ALEXANDRI VOLTAE *ſuper meteorologia electrica. Epiſtola tertia.*

p. 123. VII. BENIAMINI FRANKLIN *ideae et coniecturae meteorologicae* *).

Videtur FRANKLINO in atmoſphaera regio quaedam altior eſſe, ubi hiems ſemper regnat, perpetuoque gelat, quoniam in media aeſtate glacies ſub grandinis forma in terram ſaepe decidit.

Grando, nonnunquam tanti ponderis, probabiliter non prius ſuam adipiſcitur magnitudinem, quam cadere incipit. Cum aër aqua longe ſit rarior, non poteſt aquam, niſi in vaporum ſubtilitatem expanſam, ſuſtinere. Simulac hi vapores frigore regionis ſuperioris ita condenſantur, ut guttam efformet, haec gutta delabi incipit. Si in granum glaciei congelatur, glacies deſcendit. Tam gutta aquae, quam granum glaciei volumine creſcit, dum delabitur, idque propterea quod delabens vapores offendit, quos frigore cum ipſis communicando condenſat, quibusque tum iungitur.

Forſitan in aeſtate, quod tam ſaepe, ubi ſuperficiem telluris contingit, pluvia eſt, initio, cum cadere inciperet, nihil aliud quam nix fuit, quae cum ſtratum aëris calidi telluris ſuperficiei vicini penetraret, in pluviam commutata eſt.

Immenſum frigus ſit oportet primariarum grandinis particularum, quae centrum ipſius conſtituunt, quandoquidem tantum frigus communicare poſſunt, ut omnes vapores ipſas involventes congelentur, unde

*) Deſumtae, niſi fallimur, ex actis ſocietatis Americanae, Tom. II.

unde maſſa coaleſcit pondere vel ſex octove unciarum.

Tempore aeſtivo, quando ſol altus eſt, ac quotidie ſuper horizonte diu verſatur, radii eius terram recta via diutiusque, quam hieme, feriunt; igitur etiam telluris ſuperficies tum magis profundiusque per horum radiorum actionem incaleſcit.

Quando pluvia in terram calefactam cadit, inque eam ſeſe inſinuat, magna pars iſtius caloris ſimul deorſum fertur, atque etiam hoc modo terram profundius penetrat.

Ubi maſſa telluris ad certum usque gradum adque profunditatem forſitan triginta pedum calefacta eſt, hunc calorem aliquamdiu retinet. Quapropter prima nix, quae initio hiemis cadere incipit, in telluris ſuperficie raro diu iacet, ſed mox liqueſcit, atque a terra abſorbetur. Praeterea venti, qui illis in regionibus, ubi nix cecidit atque fuſa eſt, flant, non tam frigidi fiunt, quam ſi nix non fuſa fuiſſet. Ita vero acceſſus tempeſtatis frigidiſſimae retardatur, extremusque frigoris gradus non ſemper eo tempore, quo eum exſpectamus, obſervatur, h. e. tum, cum dies breviſſimi ſunt, ſed aliquanto tardius ſuccedit. Scilicet tunc cauſae quidem refrigerationis agere pergunt, ſed ſol tardius redit, vimque exerit minorem, quam ut illas frigoris cauſas vincere queat.

Anni 1783. menſibus aliquot aeſtivis, cum radiorum ſolarium vis terrae calefaciendae in his regionibus ſeptentrionalibus maxima eſſe deberet, in tota Europa magnaque parte Americae borealis nebula conſtans regnabat. Sicca erat atque permanens, radiique ſolis ei diſſipandae impares erant. Vapores penetrando hi radii adeo debilitabantur, ut in foco ſpeculi cauſtici coacti chartam fuſci coloris vix accenderent. Itaque eorum vis ad terram aeſtate calefaciendam non poterat non mirum in modum immi-

nui. Hinc telluris ſuperficies diu congelata manſit. Hinc prima nix non liquefacta eſt. Hinc aer fuit ventique frigidiores. Hinc denique hiemes annorum 1783 et 1784 acriores multis aliis, quae praeceſſerant. Cauſa huius nebulae univerſalis nondum patet. Ambigitur, utrum adventicia fuerit huic terrae, i. e. fumus fuerit oriundus a conſumtione alicuius illorum globorum ardentium, in quos tellus, dum circa ſolem rapitur, nonnunquam incidit, quique interdum, dum noſtram atmoſphaeram penetrant, deſtruuntur, an repetenda ſit ab inſigni copia fumi, quem aeſtate Hecla aliusque mons ignivomus illi vicinus eructarent, ventique in varias regiones ſeptentrionales diſſiparent. Interim quaerendum eſt, num ceteras hiemes vehementes, quarum in hiſtoria mentio fit, ſimiles nebulae praeceſſerint. Quod ſi res ſic haberet, e praeſentia talis nebulae, hiemem acrem fore, coniici, damnisque a glacie verno tempore metuendis occurri poſſet.

p. 128. VIII. *Obſervationes ſuper diſſertatione clar. ac* CHAUX, (tomo alteri huius bibliothecae inſerta) *ac ſuper variis modis icteri ſanandi.* Deſumtae ſunt e diario medico Pariſino.

p. 147. IX. *Epitome epiſtolae a* L. BRUGNATELLIO *ad* LAUR. CRELLIUM *die* 21. *Mart.* 1788. *ſcriptae.* Agitur hic de aliquot atramentis ſympatheticis novis, quae proceſſibus prorſus inuſitatis ſingularibusque parantur. Si cum ſolutione wismuthi nitroſa chartae candidae aliquid inſcripſeris, quod ſcriptum eſt, oculos fugit, ſed viſibile fit, ſi charta aquae puteae immergitur. Charta enim humectata nonnihil fit pellucida obſcuriorque, iis, quae ſcripta ſunt, ob colorem ſuum candidum omnem transparentiam impedientibus. Hoc phaenomenon dependet a ſolutionis metallicae per aquam decompoſitione, ſiquidem ab acido hoc modo diluto magiſterium ſive calx wis-

wismuthi ſeiungitur. Idem fit, ſi ſolutione ſublimati corroſivi mercuriive nitrati ſimili modo utaris. — Characteres ſolutione nitri mercurialis exarati etiam colorati exhiberi poſſunt. Si chartula hac ſolutione inſcripta aquoſae tartari vitriolati ſolutioni immergatur, characteres protinus tinctum ſubflavidum contrahunt; ſin loco tartari vitriolati utaris ſolutione alcali vegetabilis aut alcali tartari, color ipſorum fit ſaturate aureus. Characteres eadem ſolutione mercuriali formati etiam tinctum contrahunt, qualis coffeae eſt, eumque ſaturatum et lucidum, ſi ipſis ſolutionem auri regulinam illinas. — Si mercurius acido nitri in frigore ſolvitur, cryſtalli numeroſae coaleſcunt, eaeque candidae, parum arces, in aqua ſolubiles. Solutio earum aquoſa ſaturata eſt limpidiſſima. Quodſi ea tanquam atramento ſympathetico utaris, characteres facile nigreſcunt, ſi proceſſibus phlogiſticis, inprimis vaporibus hepatis ſulphuris exponantur. Si ſcriptum immergitur ſolutioni eiusdem hepatis, characteres fiunt viſibiles, cum colorem nigrum aut obſcure flavum contrahant. Notandum eſt, characteres hoc atramento exaratos brevi ſua ſponte colorari, inprimis ſi luci exponantur, celeriusque ipſa auri ſolutione. — Varia alia atramenta ſympathetica obtinentur, ſi certos quosdam aëres factitios adhibeas. V. c. ſi chartam ceruſſa aquae miſta inſcriptam aëri acido muriatico dephlogiſticato immittas, characteres prius inviſibiles mox apparent tinctu imbuti rubro in obſcurum vergente. — Inprimis efficax hoc reſpectu aër hepaticus deprehenditur. Si quis hoc aëre utitur, vices atramentorum ſympatheticorum ſuſtinent ſolutiones auri regalina, argenti, hydrargyri, plumbi, wismuthi nitroſae, denique aqua ceruſſa plena. Solutio quidem auri in aqua regia colore ſubflavo eſt; attamen characteres hac ſolutione exarati in charta candida, ubi ſiccati ſunt,

viſum penitus effugiunt. Sed hoc laborant incommodo, quod tinctum contrahunt, ſi in locis, ubi proceſſus ſunt phlogiſtici, aſſervantur, aut ſi aëri, inprimisque ſi luci exponuntur. De hac lucis vi hac occaſione noſter disputat. Arbitratur, cum lux corpora phlogiſto ſpoliet, certe ad phlogiſton ſuum mittendum disponat, characteres ſolutione auri exaratos, ſi luci exponantur, ideo colorari, quod calx auri phlogiſton, cuius avidiſſima eſt, ex ipſa charta, quae magnam eius copiam continet, ſuoque phlogiſto ob lucis actionem facile orbatur, extricat ſibique iungit. Iidem characteres etiam tum viſibiles fiunt, cum ſpiritus vini rectificatiſſimi vaporibus exponuntur; id quod etiam ex arcta calcis auri cum phlogiſto affinitate intelligitur. — Solutio aquoſa vitrioli cupri etſi colore eſt caeruleo, tamen characteres ea in charta alba exarati, dummodo ſolutio vitriolo non nimis ſaturata ſit, viſum effugiunt. Qui characteres ſi per unum horae momentum vaporibus alcali volatilis concentrati exponuntur, protinus tinctum caeruleum vividiſſimum contrahunt. — Eundem colorem nanciſcuntur characteres alcali phlogiſticato e Boruſſico impuro delineati, ſi per aliquot horae minuta vapores acidi muriatici fumantis contingunt. Ex enim hi vapores alcali phlogiſticatum decomponunt, coguntque acidum mittere Boruſſicum, quod tum particulas adoritur martiales, ſicque caeruleum Berolinenſe generat. Omnia acida, quibus maior, quam acido Boruſſico, cum alcali fixo affinitas intercedit, eundem effectum edere noſter obſervavit. — Atramentum ſympatheticum inprimis elegans ſiſtit reſinae guaiaci in vini ſpiritu ſolutio. Quae ſi non nimis concentrata eſt, characteres exhibet inviſibiles, ſed qui colorem contrahant caeruleum pulcherrimum, ſi aëri nitroſo immergantur, aut vaporibus rutilantibus acidi nitri concentratiſſimi exponantur.

Hunc

Hunc tinctum auctor cum SENEBIERIO a phlogiſto acidi nitroſi repetit. — Ad atramenta ſympathetica paranda etiam variorum ſuccorum vegetabilium uſus eſt longe ampliſſimus. V. g. ſcribatur cum acido ſaccharino, tartareo, arſenicali etc., aut etiam nitroſo, vitriolico, aqua ita dilutis, ut liquor acidus chartam ne corrodat. Characteres erunt inviſibiles. Iam iis illinatur tinctura ſpirituoſa altheae flore purpureo, aut althaeae flore roſeo etc., protinusque characteres aut colorem roſeum vividiſſimum lucidumque, aut rubrum ſcarlatinum nanciſcentur. Aut loco acidorum dictorum ſumatur ſolutio alcali mineralis (quod praeſtat ceteris ſalibus alcalinis quoniam humiditatem atmoſphaerae minus attrahit.) Illinatur characteribus inviſibilibus ea exaratis una e tincturis ſpirituoſis memoratis, characteresque apparebunt tincti colore viridi vel cupri vel maiorum *). — Characteres ſolutione auri ſcripti etiam in charta combuſta conſpicui fiunt. Ubi enim flamma deſiit, charta nigreſcit, characteresque imbuti cernuntur tinctu ſanguineo vividiſſimo. Phaenomenon huic analogum auctor in variis aliis metallicis ſolutionibus obſervavit, ſic tamen ut inter colores discrimen appareret.

X. *Nova literaria.*

A. *Obſervationes et inventa.* De vulcanis lunae. — Clariſſ. RUSH credere, famoſum illum pulverem anticarcinomaticum H. MARTINI compoſitum eſſe ex arſenico baccisque Belladonnae. Hunc pulverem utilem repertum fuiſſe inprimis in carcinomatibus extremitatum, ubi nihil una adeſſet ſcrophuloſi. — De nova methodo facilique a CAROLO BLAGDEN reperta ſcripturas tempore fere deletas reſtaurandi. Veſtigia literarum alcali phlogiſticato hume- p. 261.

*) His tincturis utitur auctor optimo ſucceſſu ad detegendos ſales acidos alcalinosque.

ſtantur, poſtque acido aqua diluto illinuntur. Etſi haec methodus in nonnullis caſibus utiliſſima eſſe poſſit, tamen omni caret uſu, quotiescunque literae ita evanuerunt, ut nulla earum veſtigia appareant. In huiusmodi caſibus BRUGNATELLI auctor eſt, ut ſcriptura tempore deleta aëri acido muriatico dephlogiſticato immittatur. Hic enim aër in vitriolum ferri partem atramenti conſtitutivam, agens calcem martialem ita dephlogiſticat, ut haec colore rubro vivido tingatur, cuius beneficio veſtigia literarum etiam obſcuriſſima viſibilia redderentur. Tum ad colorem literarum augendum methodus Blagdeniana adhiberi poteſt. — De lacerta vivipara a I. F. DE IACQUIN reperta *). — De tribus novis plantarum generibus ab eodem detectis **).

p. 163. B. *Relationes de libris novis.*

To. IV. I. *Obſervationes ſuper febre carcerum. Auctore*
p. 1. IOANNE HUNTERO, *M. D.* (Recitatae in collegio medicorum Londinenſi.)

p. 16. II. *Continuatio examinis phyſico-chemici colorum animalium. Auctore com.* MOROZZO. *Altera pars.*

p. 40. III. *Epitome epiſtolae* LAURENTII CRELLII ad L. BRUGNATELLIUM, *die* 30. *Iun.* 1788. *datae.* De cryſtallis cubicis Luneburgenſibus, in quibus clar. WESTRUMB ſalem ſedativum detexit. — De fonte petrolei in Hungaria reperto, in cuius reſiduo etiam ſal ſedativus inventus eſt. — De Klaprothiana ſpati adamantini analyſi. — De LOWITZII tentaminibus cum carbonum pulvere.

IV. *Diſ-*

*) E Novis Actis Helveticis Vol. I. p. 33. Vid. Comment. noſtr. Vol. XXXI. p. 112.

**) In iisdem actis deſcribuntur figurisque illuſtrantur.

IV. *Diſſertatio* IOS. BARONII, *M. D. ſocii academiae phyſiocriticorum Senenſis, de modo lini cannabique magnas quantitates ſumtibus minimis macerandi.* p. 43.

V. *Litterae a* TESSIE DE CLOSSEAU, *doctore regente facultatis medicinae Andegavi, profeſſore chemiae membroque ſocietatis agriculturae Andegavenſis, ſcriptae ad clar.* DE LA METHERIE *ſuper agricultura.* p. 64.

VI. *Diſſertatio de phyſiologia plantarum. Auctore* BELL, *M. D.* Praelecta eſt in ſocietate Mancheſtrienſi *). p. 73.

VII. *Tentamen ſuper phlogiſto partibusque conſtitutivis acidorum. Auctore* RICH. KIRWAN, *membro academiarum Holmenſis, Upſalenſis, Divionenſis, Dublinenſis, Philadelphicae, Mancheſtrienſis etc.* Cum huius opuſculi Kirwaniani etiam verſio germanica prodierit a LAUR. CRELLIO Helmſtadienſi curata **), eius contenta in illius verſionis recenſione enarrabimus. Non totum huic tomo inſertum eſt, ſed tantum introductio cum tribus prioribus ſectionibus. p. 100.

VIII. *Epitome epiſtolae* ALEXANDRI VOLTAE *ad* L. BRUGNATELLIUM *die* 20. *Aug.* 1788. *ſcriptae.* Obſervatum fuit a SAUSSURIO, acum magneticam in regionibus altis nunquam ſeſe figere, ſed ſemper variare. Ad hanc rem explicandam ſumit *V.* quod ipſe iam dudum docuit, magnetiſmum eſſe phaenomenon terreſtre atmoſphaericum, h. e. principium originemque phaenomenorum non eſſe nucleum quendam in terra abſconditum neque aggregatum omnium corporum terreſtrium, ſed terram una cum atmo- p. 123.

*) Prodiit in actorum huius ſocietatis Vol. II. p. 241. verſ. german.

**) RICHARD KIRWAN'S *phyſiſch-chemiſche Schriften, aus dem Engliſchen überſetzt v. D.* LORENZ CRELL, 3*r B. p.* 333. *ff.*

atmoſphaera. Aëris quidem telluri circumiecti magnam in phaenomena magnetica vim et poteſtatem eſſe, indicant reliquae obſervationes, inprimis mutationes diurnae menſtruaeque, quas acus etiam in locis, ubi conſtans regnat temperatura, ob calorem atmoſphaerae varium ſuſtinet, tum illae notabiliores, quibus obnoxia eſt, dum tempeſtates ſaeviunt, maximeque dnm aurorae boreales apparent. Itaque directio acus intenſitasque vis magneticae etiam ab atmoſpaera, non a ſola terra, dependent. — De phaenomeno a LOWITZIO, carnem putridam cum pulvere carbonario tractante, obſervato.

IX. *Nova literaria.*

p. 136. A. *Obſervationes et inventa.* De ſalutari effectu ſyrupi diacod. in delirio phrenetico a GOUBIERIO obſervato. — De NAUDEAUI obſervationibus ſuper utilitate uſtionis in variis morbis chronicis. — De WOULFII proceſſu ad oleum e materiis gummoſis ac mucilaginoſis extricandum. Materiae iſtae cum alcali fixo aut calce deſtillantur. — CIRILLO, medicus Neapolitanus, multos hydropicos ſimplici decoctione ſolani officinalis ad ſanitatem reſtituit. Vidit, hanc decoctionem augere urinae quantitatem ſic, ut nullus ſtimulus, nulla inflammatio oriatur. — Idem vir doctus utiliſſimum expertus eſt uſum generoſum opii in cura morborum acutorum cum delirio, convulſionibus pulſuque duro coniunctorum. Vehementiſſimas febres hoc medicamentum ſolum biduo profligavit. — De BRUGNATELLII obſervationibus ſuper motu multarum vegetabilium aquae innatantium. — De virtute antiſeptica acidi vegetabilis muriatici que a G. WRIGHTIO deſcripta. — De SCHRÖTERI variis obſervationibus aſtronomicis.

Clar. MARABELLI Zeam Mais L. analyſi chemicae ſubiecit. Examinavit varias huius plantae partes, h. e. calamum, ſemina tam immatura quam matura,

tura, receptaculum ſeminum, farinamque. Cum calamis varias paravit decoctiones, etiamque purum ſuccum elicuit, quem uti illas decoctiones, ad extracti ſpiſſitudinem redegit. Extractum a puro ſucco ortum dulce erat ad inſtar ſyrupi ſacchari. Cum calamis, e quibus ſuccus extractus erat, decoctum paravit, quod ad extracti conſiſtentiam reductum ſaporem amarum haberet. Decocta memorata ſolutiones metallorum lunarium decomponebant, vinique ſpiritum colore coffeae inficiebant. Temporis progreſſu extractum ſaporem contraxit amarum, ſalitum pungentemque, atque ſiccatum carbonibusque immiſſum explicuit odorem acidi nitroſi, ac verum acidum muriaticum eructavit, cum oleum vitrioli adfunderetur. Per deſtillationem dedit 1) liquorem acidum, 2) oleum empyreumaticum, 3) carbonem ſpongioſum, nonnihil ſalitum, in quo M. magneſiam ſalitam, ſalem alcalinum diliqueſcentem, terram calcaream paullumque ferri reperit. Non obtinuit acidum ſaccharinum niſi e ſucco calamorum: ſex ſcrupuli huius ſucci unum ſcrupulum et quinque grana acidi ſaccharini dederunt. Succus ſeminum immaturorum, qui facie eſt lactea ac ſapore dulci, acidis, ſpiritu vini ſalibusque alcalinis coagulatur, deponitque ſubſtantiam natura ſua amylum referentem. Ex uncia una huius ſucci ad extracti conſiſtentiam redacti M. per acidum nitroſum duo grana acidi ſaccharini obtinuit. Idem ſuccus cum fermentationem acidam ſubiiſſet, quatuor ſubſtantiae diſtingui potuerunt. 1) Illa, quae fundum vaſis petiit, indole ſua ad amylum accedens. 2) Subſtantia fibroſa coloris flavi, in qua reperta ſunt nitrum, ſal marinus, magneſia materiesque naturae animalis cum pauca terra martiali. 3) Subſtantia ſupernatans, alba, denſa, quae cum aqua cocta, uti albumen ovorum, coagularetur, atque putreſceret. 4) Liquor,

in quo ſubſtantiae memoratae inerant, quo ad extracti conſiſtentiam reducto, M. e ſeptem ſcrupulis per acidum nitroſum obtinuit quinque grana acidi ſaccharini. Idem liquor cum ſolus deſtillaretur, ab initio dedit liquorem acidum, ſed qui ad finem in excipulum tranſit, ſi ſali tartari iungeretur, odorem ſpargebat ſpiritus cornu cervini; poſtremo prodit oleum nigrum foetidum, carboque relictus eſt ſpongioſus amarusque, qui alcali volatile oleret, magneſiamque ſalitam contineret materia quadam extractiva involutam. Cineres huius carbonis dederunt paullulum alcali vegetabilis, magneſiam, calcem aëratam nonnihilque ferri. — Subſtantia ſeminum, a qua ſuccus expreſſus erat, aliquamdiu aſſervata corrupta eſt. Tum deſtillata dedit primum liquores, ad finem acidos, ſalemque ammoniacalem; poſtremo oleum nigrum empyreymaticum, quod teneret alcali fixum vegetabile, parum ferri, multum magneſiae, calcemque aëratam. Sed cum eadem ſubſtantia ante corruptionem deſtillaretur, liquores exhibuit tantummodo acidos, ceterum eadem producta obtenta ſunt, niſi quod maior quantitas alcali fixi appareret. — Medulla receptaculi ſeminum erat dulcior ſucco calamorum, pariterque tenuit acidum ſaccharinum. Tandem etiam ſubſtantiam exhibuit ſaccharinam, praetereaque materiam natura ſua amylum aemulantem, atque ſubſtantiam fibroſam glutini frumenti ſimilem, quae deſtillando genuinum daret alcali volatile, inflammataque odorem ſpiraret ſubſtantiae animalis.

p. 142. B. *Relationes de libris novis.*

To. V. p. 1. I, *Continuatio tentaminis ſuper phlogiſto partibusque conſtitutivis acidorum, auctore* RICH. KIRWAN. Sectio quarta quintaque hic exſtant.

p. 51. II. *Epitome epiſtolae, quam* DE LA METHERIE *ſcripſit die* 12. *Sept.* 1788. *ad* L. BRUGNATELLIUM

ſuper

ſuper nonnullis cryſtalliſationibus ſingularibus. PUJOT vitri cryſtallos prismatis exaedris truncatis reperit. Cum enim in officina vitraria prope Lutetiam, ubi lagenae conflantur, crucibula diffringi videret, in fundo crucibuli obſervare ipſi licuit maſſas vitreas, in quibus loci eſſent vacui: hisque maſſis examini ſubiectis, in iis reperit cryſtallos priſmaticas cum pyramidibus. Iam cl. riſſ. KEIR ſimilem obſervationem inſtituerat. Igitur dubitari nequit, materias vitreas perinde, ut ſuſas, cryſtalliſari poſſe. Lex adeo cryſtalliſationis ad totam naturam extenditur; quod cum DE LA METHERIE cogitaret, aſſerere non dubitavit, reproductionem corporum organicorum nihil aliud eſſe quam cryſtalliſationem humorum prolificorum. — Clariſſimum FAUJAS DE ST. FOND demonſtraſſe, baſin porphyrii, pro iaſpide adeoque natura ſua ſiliceam vulgo habitam, trapezium eſſe difficillime fundendum.

III. *Nova methodus flores ſalis ammoniaci martiales praeparandi. Auctore* SCHILLER. In nota adiecta monetur, clar. COURET, qui hanc SCHILLERI diſſertatiunculam e germanico gallice vertit, flores ſalis ammoniaci martiales ſequente methodo praeparare. Viginti quatuor uncias ſalis ammoniaci ſufficiente quantitate aquae purae ſolvit, tumque adiungit duas uncias limaturae ferri puriſſimae, hancque miſturam coquit, recentem aquam, prout ea evaporando conſumitur, addendo donec nihil non ferri ſolutum ſit. Poſt liquorem ſalinum percolat, evaporandoque ad ſiccitatem redigit. Hoc proceſſu obtinet, nullo acidi muriatici, quo SCHILLERUS utitur, interventu, ſalem ammoniacum ferro, quantum fieri poteſt, ſaturatum. p. 53.

IV. *Proceſſus ad fulminandi vim calci argenti impertiendam. Auctore* BERTHOLLET. Sumatur argentum purum, ſolvaturque acido nitrico. Ex hac p. 55.

ſolu-

ſolutione argentum aqua calcis praecipitetur, ac praecipitatum decantetur et per tres dies aëri exponatur. Clariſſ. BERTHOLLET credit, praeſentiam lucis ad ſucceſſum tentaminis ſuum conferre poſſe. Calx haec ſiccata alcali volatili diluatur. Sic formam pulveris nigri contrahet. Hic pulvis decantetur ac in aëre libero ſiccetur, argentumque erit fulminans, quod quaerebatur. — Sumatur alcali volatile, cuius interventu calx argenti in argentum fulminans converſa eſt, ingeratur exiguae phialae vitreae ſubtili, gradumque ebullitionis ad combinationem perficiendam neceſſarium ſuſtinet. Tum phiala ab igne removeatur. In pariete interna formabitur cortex cum exiguis cryſtallis, quas liquor conteget. Quod ſi ſub liquore refrigerato aliqua cryſtallus tangatur, exploſio fit, qua phiala frangitur; fluidum ad parietes laboratoriis usque diſpergitur, phialaque in fragmenta diſſilit. — Rationem huius phaenomeni eandem, quam in auro fulminante, BERTHOLLETUS reddit. Scilicet hac in operatione oxygenium argento parum tenaciter adhaerens cum hydrogenio alcali volatilis copulatur, ſicque aquam generat. Haec aqua cum protinus in vapores expandatur, primaria phaenomeni cauſa eſt, quod etiam magna ex parte ab azoto, quod ex alcali volatili evolvitur, dependet. Poſt fulminationem argentum reductum cernitur.

p. 59. V. *Obſervationes ſuper irritabilitate vegetabilium. Auctore* I. E. SMITH, *M. D.*

p. 69. VI. *Epitome diſſertationis ſuper gemma obſidiana* ADAMI FABBRONI. Qui fuerit lapis veterum obſidianus, quantumvis doctiſſimus CAYLUS in eo determinando (pro vitro eum vulcanico habuit) ingenium ſuum exercuerit, adhuc ignorari auctori videtur. Credit F., omnes virorum doctorum hac de re dubitationes ac diſſenſus inde ortos eſſe, quod Plinium minus accurate legerint. Scilicet Plinius clarif-

clariſſime, ut noſtro videtur, monet, nota fuiſſe ſua aetate lapidem ſ. marmor obſidianum, vitrum obſidianum gemmamque obſidianam; quae tres ſubſtantiae a ſe invicem maxime discrepantes tantummodo tinctu nigro inter ſe concordabant. Lapidem obſidianum veris marmoribus noſter adnumerat, inprimisque illis, quae affrictu vehementi odorem exhalant bituminoſum. Sub vitro obſidiano fere intelligendum eſt vitrum artificiale (raro naturale vulcanicum) opacum nigrumque, adeoque habitu ſuo externo lapidem obſidianum aemulans, hincque etiam nomen ſuum ſortitum. Denique gemma obſidiana (ob colorem, quo ad lapidem obſidianum accederet, ſic dicta) noſtro videtur ſchoerlus recentiorum opacus et niger fuiſſe. Hanc ſententiam noſter pluribus argumentis confirmare conatur, obiterque de iſto ſchörlo eiusque ſedibus diſputat. Mavult, vocabulum barbarum SCHOERLUS e libris mineralogicis tolli, eiusque loco antiquam denominationem obſidianae uſurpari. Vis nonnullorum ſchoerlorum calore phaenomena edendi electrica iam veteribus cognita fuit. Lapides hoc nomine in illorum libris commemoratos ſchoerlos fuiſſe, auctor aſſerit.

VII. *Continuatio epiſtolarum* ALEXANDRI VOLTAE *ſuper meteorologia electrica. Epiſtola quarta.* p. 79.

VIII. *Diſſertatio ſuper radice Calagualae. Auctore* D. L. GELMETTI, *M. D.* In regno Quiti Americae auſtralis planta naſcitur, quae vulgo Calaguala audit. Foliis accedit ad linguam cervinam (Aſplenium ſcolopendrium LINN.), ſic tamen ut folia ſint breviora, anguſtiora, inque apicem acutiorem excurrant. Praeterea conſiſtentia ſuccique ubertate excellunt. In parte ſuperiore alba ſunt, in inferiore obſcure viridia, huicque adhaerent ſemina in maſſas quasdam lentiformes congregata, quae ſeriem regularem tam a dextra quam a ſiniſtra parte efformant. p. 135.

Semina

Semina a foliis ſeparari poſſunt ſic, ut nulla fiat dilaceratio, quod in lingua cervina aliter habet. Radix, e qua folia pronaſcuntur, mediocriter craſſa eſt, ac, quemadmodum radix polypodii, ſub terra proſerpit. Diſſecta quoad tinctum, formam, levitatem, fibrasque ſive radiculas lateraliter progredientes plurimum accedit, ad radicem oſmundae regalis. Fere reperitur in montibus mediae altitudinis inter ſaxa inque locis ſterilioribus. — Etſi haec radix manifeſto ſapore caret, tamen potenter aperit, attenuat, reſolvit, uti eſſe ſolent, quanquam minore in gradu, omnes plantae dorſiferae. Hinc ab Americanis vulgo uſurpatur in pleuritide, contuſionibus, internisque abſceſſibus. — Methodus eam adhibendi huc redit. Duae drachmae radicis ſufficiente quantitate aquae fontanae infunduntur, coquunturque, donec quarta aquae pars conſumta ſit. Huius decocti aliquot ſcyphi ebibendi dantur, quemadmodum theae decoctum vulgo bibitur. Nullus inſequitur calor, nulla ſenſibilis commotio, nulla evacuatio, ſi magnam vim urinae excipias, quae tanta vehementia effluit, ut nonnunquam ſanguis diſſolutus ſimul profluere viſus fuerit. Tamen nihil odoris doloriſve neque in lumbis neque in viis urinariis ſentitur. Eadem radix, quae primae decoctioni inſerviit, iterum, tertia quartaque adeo vice poteſt ad decoctionem adhiberi: ſic habetur decoctum ſecundum, quod interdiu uſurpatur, inprimis ſi criſis ſalutaris iuvanda eſt. — Habetur alia ſpecies Calagualae, quam feminam nuncupant: eſt haec foliis latiſſimis longisque, ſed ſeminibus deſtituta, habeturque prorſus inutilis. Alia etiam radix reperitur, quae Calaguala falſa audit. Huic cum genuina ſola radix communis eſt. Nonnunquam per fraudem verae ſubſtituitur; ſed nulla efficacitate pollet. Calaguala vera noſcitur foliis, quae circiter dimidium pedem longa, duos

digito

digitos transverſos lata, ſeminibusque admodum locupletata ſunt. — Sequuntur obſervationes quatuor numero ſuper pectoris contuſione, pleuritide, catarrho pectoris, colica convulſiva etc., quibus in morbis calaguala cum optimo ſucceſſu adhibita eſt. Concludit ex iis clar. GELMETTI, radicem Calagualae eſſe recteque haberi remedium maxime reſolvens, corroborans, antiſpasmodicum. Praeterea ex eius ſententia materias morboſas ac heterogeneas e corpore humano ſecretiones et excretiones augendo ſic eliminat, ut nulla cieatur notabilis aut periculoſa oeconomiae animalis perturbatio. Uſurpari itaque recte poterit in morbis pectoris, qui a congeſtione oriuntur, in catarrhis pertinacibus, in tuſſibus rebellibus, in phthiſi maxime pituitoſa, in contuſionibus, in rheumatibus, in inflammationibus ſpuriis adeoque genuinis, praemiſſa ſemper debita venae ſectione, in vomicis, in cachexia, forſitanque etiam in hydrothorace et hydrocardia.

Nova literaria.

A. *Obſervationes et inventa.* LASSONI, patris, et CORNETTI obſervationes ſuper praeparatione viribusque medicis aetheris nitroſi ac liquoris anodyni nitroſi. — Brevis enarratio obſervationum clariſſ. DE FAESNOY ſuper proprietatibus medicis rhois radicantis et narciſſi pratorum. — ROUGNONI methodus (in eius *conſiderationibus pathologico-ſemeioticis* propoſita) vulnera ab animalibus rabidis inflicta tractandi. — De clariſſ. DE SAINT-FRESNE obſervationibus ſuper bonis effectibus polygalae Virginianae cum oxymelite ſquillitico uſurpatae in duobus caſibus peripneumoniae ſuppuratae. — Deſcriptio methodi, quam fratres DUMOTIER excogitarunt, aetherem in fluidum aëriforme inflammabile expandendi, hocque fluidum commode et ad ſpectantium oblectamentum inflammandi. — De PUY-

p. 150.

MAURI-

MAURINI tentaminibus ſuper figuris vitro per acidum fluorium incidendis. — De recentioribus nonnullis PRIESTLEYI inventis. — Clariſſimus VANMARUM, a VOLTA excitatus, ut in machina Teyleriana tentaret, ad quemnam gradum thermometrum penicillo electrico immerſum eveheretur, illi reſcripſit, omne experimentum in recipiente ab aëre ſemivacuo, ubi lumen electricum nimis diffunderetur, inſtitueret, mercurium a gradu 45. ad 151½. grad. ſcalae Fahrenheitianae adſcendiſſe. — Deſcriptio methodi ab Abb. HAUY excogitatae, herbariorumque collectoribus acceptiſſimae, florum ſiccandorum coloribus naturalibus facile plerumque evaneſcentibus artificiales ſubſtituendi.

p. 161. B. *Relatio de libris novis.*

To. VI. I. *Continuatio finisque tentaminis ſuper phlogiſto partibusque conſtitutivis acidorum, auctore* RICH. KIRWAN. Sectiones octo poſteriores (VI — XIII) hoc tomo continentur. Haec opuſculi Kirwaniani verſio italica Ticini etiam ſeorſim venit.

p. 69. II. *Epitome obſervationum ſuper Benaco (Lago di Garda) terrisque adiacentibus. Auctore* I. S. VOLTA, *Canonico.* Primum Benacus geographicae deſcribitur. Non ſolum a flumine Sarca, uti volgo creditur, ſed ab omnibus omnino aquis montium Broſcianorum originem trahit. Profunditas eius permagna, etſi non ubique eadem, deprehenditur: ſecundum dimenſiones a Comite CAROLO BATTONIO inſtitutas in nonnullis locis eſt 250 pedum Pariſinorum, in aliis 400 — 500, interque Caſtellettum Gargnanum adeo 1800. Aqua limpida eſt, leviſſima, ſapore ad pluviam accedens, et ad certam usque profunditatem magis temperata, quam aër atmoſphaericus, ut potus ſit ſuavis, adeoque remedium in atonia ventriculi. Ad fundum frigidiſſima eſt tempore aeſtivo,

tepida

tepida hiemali, quando ſuperior eius columna tanquam congelata eſt. Piſces, inprimis carpiones, a piſcatoribus thermometri loco adhibentur ad huiusmodi variationes menſurandas: nam retibus e profunditate 1000 pedum Pariſ. extracti manum ipſos tangentem tempeſtate calida frigore torpidam faciunt, e contrario hieme ſuavi ipſi teporem imprimunt. Obnoxius eſt Benacus impetuoſis aëris fluminibus, quae a ſinu montium egreſſa, inprimis dum nix cadit, tempeſtates cient omnemque navigationem impediunt. Tum undae inprimis agitantur, ad altitudinem ſeptem pedum a ſuperficie aſſurgunt, ſpectaculumque omnino edunt non minus horribile tempeſtate marina. Tamen anni parte maxima in Benaco non ſpirant, niſi duo venti, boreas (*ſovero*) et auſter (*ora*). Alter vehementior ille poſt mediam noctem incipit. deſinitque mane dimidio praeterito; alter, lenior ſub meridiem naſcitur, ac ſub veſperam evaneſcit. His ventis navigatio iſtius regionis magni momenti regitur. — Benacus multas piſcium ſpecies alit, partim fluviatiles, partim marinas. Fere ſunt tum ſapore praeſtantiores, tum volumine maiores, quam in aliis lacubus. Recenſentur ab auctore, ponderibus ſingulorum maximis additis, hi: *Cyprinus* Carpio L. (*bulbero*); C. Tinea (*tineone*); C. Barbus (*barbo*); C. Idus (*cavazzino*); C. Orphus (*dorata*); C. Vimba (*muſella*); C. Griſlagine; C. Rutilus *); C. Alburnus (*avola*); C. Phoxinus (*varone*); C. Aphya (*roncone*): *Salmo* Trutta (*trotta*); S. Carpio (*carpione maſchio*); S. Umbla (*carpione femmina* **)): *Eſox* Lucius (*luzzo*): *Clupea* Aloſa

*) Utrumque *ſcardova* accolae dicunt.

**) Salmonem Carpionem et S. Umblam male confundunt piſcatores, ac pro una habent eademque ſpecie.

Aloſa *) maior (*agone*), minor (*ſardenna*), parva (*ſcarabina*): *Muraena* Anguilla (*anguilla*): *Petromyzon* branchialis (*lampreda*): *Cobitis* Barbatula (*fiuga*); C. Taenia (*foraguada: Cottus* Gobio (*magnorone*). In litoribus ſaxoſis lacus palmi profunditate ſub arena reperitur Cancer Pulex LINN. copia longe maxima, e cuius ore tumor ſtillat corroſivus, per quem terra ſolvitur, qua animalculum tanquam cibo utitur. Hoc inſectum cruſtaceum horis calidis ex ſuo latibulo progreſſum linteis ad ſiccandum in litore expanſis vehementer nocet, cum ea paucis horae minutis cribri inſtar perrodat, idque forſitan ex ipſo humore, cuius ope alimentum ſibi praeparat. — Inter plantas aquaticas frequentiſſimae ſunt collectae que facillimae variae ſpecies Potamogetonis, P. ſcilicet *criſpum*, *pectinatum*; *perfoliatum*, *denſum*, *natans* etc., quae inprimis ibi creſcunt, ubi aqua lacus facile ſtagnat. In litoribus magna copia reperiuntur Schoenus Mariſcus et Valliſneria ſpiralis. Alias plantas aquaticas illius loci iam deſcripſerunt PONTEDERA et SEGUIERIUS. — Phaenomenon in Benaco obſervatione digniſſimum videas ad S. S. O. contra Sermionem. Si enim ibi oculos ad undas huc dirigas, magna vis apparet nunquam interrupta bullarum aëreaum nonnunquam fumantium, quae a quinque locis diverſis e profunditate 200 circiter pedum ad aquae ſuperficiem emergunt. Odor ovorum putridorum ad ſulphureum vergens, qui hîc loci ſentitur, maxime quando undae quieſcunt, movit Sermionenſes, ut eius cauſam indagarent. Reperierunt quinque fontes profundos aquarum medicatarum frigidarum, quae ita hauſtae, ut nihil aquae lacuſtris adm-

***) *Agone*, *ſardenna* et *ſcarabina* male a piſcatoribus pro diverſis ſpeciebus habentur.

admiſtum ſit, ſaporem exhibent acidulum cum odore ſulphureo magis etiam manifeſto. Has aquas auctor in ipſo loco, ubi hauriuntur, examinavit. Aquam calcis, cretam aëratam generantes, turbarunt, cumque acido nitroſo praecipitatum album ſulphuris dederunt: quae duo experimenta declarant, eſſe aquas hepaticas aëri fixo remixtas. Fluidum elaſticum, quod e lacus fundo emergit, ac ſub bullularum forma aquam penetrat, argentum tingit colore fuſco, inque lagenam inverſam more conſueto collectum, ſi vas ſaepius agitatur, evaneſcit, et aquae reſiduae odorem levem hepaticum impertit. — Sequuntur obſervationes ſuper duobus litoribus Benaci, Veronenſi ac Breſciano. Inter marmora montis Baldi *) inprimis attentionem meretur celeberrimum marmor *flavum Turrium* (*giallo di Torri*) ad *flavum antiquum* (*giallo antico*) proxime accedens. Fere iacet ſub ardeſia tegulari coloris roſei. Tinctus huius marmoris in nonnullis locis multum, in aliis minus ſaturatus eſt. Ubivis abundat typolithis Nautili orthocerae LINN. et Argonautae, diverſisque nucleis Anomiarum. Strata eius planum inclinatum efformant, atque hic illic interſecta ſunt venis perpendicularibus hematitae ferri efflorescentis, unde materia colorans marmoris primum orta videtur. Haematites ſolidus eſt, ponderoſus colorisque fuſci. In nonnullis locis interpoſita ſunt ſtrata marmoris albi, hisque ſtrata marmoris maculis rubris variegati. — In eodem monte Baldo effoditur etiam terra viridis Veronenſis, quae dicitur. Sedem ſuam habet inter duas venas ſubtiliſſimas viridis aeris et caerulei montani, unde

*) Conſcripſit auctor diſſertationem de origine ac revolutionibus phyſicis Montis Baldi nondum editam, ſed quam ſuo tempore proditurum eſſe ſpem facit.

forſitan color eius repetendus eſt. Lubrica eſt tactu, continetque terram ſerpentinam, argillamque cum pauxillo calcis metallicae irreducibilis. Litoris Breſciani clima inprimis longe ſuaviſſimum ſalubberrimumque eſt. Incolae in univerſum ſunt temperamento robuſto ac ſanguineo, colore fuſci, mediocri ſtatura. Pollent activitate, induſtria, genii promtitudine, ac naturali quadam alacritate puritate aëris nata. Non alii morbi endemici cognoſcuntur, niſi febres bilioſae, hydrops, pleuritis ſcorbutusque acrimoniae muriaticae. Solum undat plantis fructibusque exquiſitis; inprimis creſcunt laurus, oleae, citri etc. Agave americana regionibus auſtralibus propria, pluribus in locis altitudinem notabilem ſponte excreſcit. Neque ſolum plantae exoticae, ſed etiam varia animalia regionum exterarum hinc incolunt: v. g. e ſerpentibus Coluber caeruleus Indiae, e lepidopteris Papilio Menelaus Surinami praeter alias raras inſectorum ſpecies.

p. 86. III. *Nova inquiſitio in attritum ſolidorum. Auctore* PAULO DELANGES, *centurione Veneto et profeſſore matheſeos in ſcholis militaribus Veronae. Ad Com.* I. A. SALUZZO, *praeſidem academiae regiae ſcientiarum Taurinenſis.*

p. 137. IV. *Continuatio epiſtolarum* ALEXANDRI VOLTAE *ſuper meteorologia electrica. Epiſtola quinta.*

p. 148. V. *Epitome epiſtolae* HOEPFNERI, *ſocii variarum academiarum, ad* L. BRUGNATELLUM. Enarrantur contenta quarti voluminis promtuarii Hoepfneriani *). — De novis foſſilibus montis S. Gothardi ac Delphinatus.

VI. *So-*

*) Trium priorum voluminum huius promtuarii recenſata eſt Comm. noſtr. Vol. XXXIII. P. III.

VI. *Solutio problematis* L. EULERI, *auctore* LAURENT. MASCHERONI, *profeſſore matheſeos elementaris in univerſitate Ticinenſi.* p. 149.

VII. *Nova literaria.*

A. *Obſervationes et inventa.* De ILSEMANNI analyſi molybdaenae Altenbergenſi. — CHAPTALIUM obſervaſſe, vegetationem ſalium non fieri niſi in illis vaſorum parietibus, qui luce colluſtrati ſint, vegetabilioremque eſſe illis in punctis maiorem, quae lumen magis afficiat, ſed minorem aut omnino nullam ibi, ubi lux debilis ſit aut parietes a nulla luce illuſtrentur. Facile poſſe hocce phaenomenon obſervari, ſi ſolutiones vitrioli ferri aut zinci etc. adhibeantur. — De KLAPROTHI analyſi apatitae et quarzi cubici LASII. — De obſervatione ſuper ovario, in quo oſſa, dentes capillique reperti ſunt, a CLEGHORNO in transactionibus regiae ſocietatis Hibernicae evulgatata. — ACHARDUS repererat, glaciem, quae in temperatura paucorum graduum ſub 0 ſcalae Reaumurianae, h. e. usque ad — 8°, electricitatis conductor eſt mediocriter bonus, usque ad — 20° refrigeratam non amplius eſſe conductorem, ſed corpus vere idioelectricum, adeoque tritu poſſe electriſari. Iam clariſſ. VOLTA nuper admodum vidit, glaciem poſſe terendo electriſari, etiamſi eius temperatura — 8° ſuperet adque limitem fuſionis accedat, adeoque ſi ipſa aëri 10, 15, 20° calido expoſita colliqueſcat; denique quamdiu aliquid glaciei ſolidum maneat, quod cultello poſſit abradi. Ut vero ſigna electricitatis hac ratione appareant, ſufficit particulas glaciei abraſas dum cadunt lamina metallica, eaque inſulata, excipere. Haec electricitas, quam lamina mox prodit, poſitiva eſt, brevique adeo creſcit ut ſcintillas producat, idque ſaepius prius, quam dimidia pars laminae glacie contecta eſt. p. 163.

B. *Relatio de libris novis.* p. 165.

T. VII. p. 1. I. *Obſervationes ſuper uſu ipecacuanhae in diarrhoea exiguis doſibus datae.* *Auctore* FOTHERGILL *M. D. etc.*

p. 6. II. *Epiſtola* IO. SERAPH. VOLTAE *Canon. ad* LUD. BRUGNATELLUM *ſuper nonnullis tentaminibus ſexum vegetabilium ſpectantibus.* Theoria Linnaeana ſexus plantarum contra ALSTONI obiectiones *) mascule defenditur. Eſt haec epiſtola tanquam epitome maioris de phyſica plantarum operis a VOLTA elaborati, quod iam in Italia prodiiſſe ſuſpicamur.

p. 18. III. *Diſſertatio ſuper morbillis, auctore* G. HEBERDEN, *M. D.*

p. 30. IV. *Series propoſitionum ſuggeſtarum a conſideratione multiplicis perſpirationis et reſorptionis vaporum inſenſibilium, qui in corpore humano et extra illud ſeparantur.* *Perſcripta ab* A. MONZA *M. D. ad* L. BRUGNATELLUM, *Placentiae die* 15. *Nov.* 1788. Aphoriſmis 72. variae continentur propoſitiones doctrinam perſpirationis vaporum ſpectantes et illuſtrantes, nunc certae, nunc hypotheticae.

p. 42. V. *De modo curandi puncturas animalium domeſticorum ab examinibus apium ipſis illatas.* *Auctore* FLANDRIN, *directore adiuncto ſcholae veterinariae Pariſinae.*

p. 47. VI. *Epiſtola* SAGII *ad clar.* DE LA METHERIE *ſuper nova nomenclatura.* Deſumta eſt e diario phyſico, quod DE LA M. Lutetiae edit. Clariſſ. SAGII novam nomenclaturam, utpote barbaram, nihil ſignificantem, ab etymologia abhorrentem, ipſamque adeo antiphlogiſticorum theoriam repudiat magno ſupercilio, ſimul acidi ſui *ignei*, quod dixit, exiſtentiam contra COUSINUM, clariſſimum geometram acerrimumque novae chemiae defenſorem, propugnans.

VII. GRI-

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. V. p. 58. ff. 701. ſ.

VII. GREGOR. FONTANA, *profeſſ. publ. matheſ. ſublim. in univerſitate Ticinenſi, de theoremate compoſitionis duarum virium duobus lateribus contiguis parallelogrammi exhibitarum in unam ſolam, expreſſam illam per diametrum eiusdem parallelogrammi.* p. 49.

VIII. *Eiusd. notiones fundamentales ad integrationem aequationum differentialibus finitis faciliorem reddendam applicandamque ad doctrinam ſerierum.* p. 53.

IX. *Continuatio epiſtolarum* ALEXANDRI VOLTAE *ſuper meteorologia electrica. Epiſtola ſexta.* p. 81.

X. *Obſervationes ſuper aliquot preſteribus (trombe di mare) in mari Adriatico natis die 23. Auguſti 1785. Auctore. Abb.* L. SPALLANZANI *). Vidit SPALLANZANI in mari Adriatico verſus Conſtantinopolin navigans e nube fluido electrico gravida varios tanquam conos inverſos oriri, qui ſtalactitas e fornice cavernae ſubterraneae dependentes referrent. Mox hi coni evanuerunt. Brevi poſt ibidem natus eſt alius conus, ſed longe amplior, qui breviſſimo temporis ſpatio deorſum lapſus maris ſuperficiem apice tetigit, cum baſis ipſius inter nubem abſcondita maneret. Ut apex aquam marinam contigit, haec in monticulum elevata eſt, tamdiu viſibilem, quamdiu conus inverſus integer manſit. Hic igitur conus fuit verus genuinusque preſter, cum illi coni breviores non eſſent niſi preſteres imperfecti. Diameter coni poſterioris apparens, ubi conus mare tangebat, videbatur ad ſummum undecim pedum, ſed prout preſter ad nubem adſcendebat, volumine augebatur, ſic ut ibi, ubi nubem contingebat, ad minimum volumine decies ampliore eſſe videretur. Ma-* p. 112.

*) MICHAUDI ſuper his meteoris obſervationes actis Taurinenſibus inſertas indicavimus in Comment. noſtr. Vol. XXXIII. p. 618. ſq.

teria preſterem conſtituens a materia nubis preſterem generantis non videbatur diverſa, niſi quod magis pelluceret, nam in parte inferiore corpora a tergo preſteris ſita, etſi lumine exiguo illuſtrata, tamen viſibilia fuerunt. In arcum erat preſter incurvatus, concavitasque a vento ipſum continenter adflante producebatur. Locus, ubi mare contingeret, non perpendiculariter ſub illo poſitus erat, ubi cum nube cohaereret. — Eodem tempore ex illa ipſa nube nati ſunt duo alii preſteres, unus maior, alter minor priore, qui eadem fere celeritate ad mare deliberentur. Tempus delapſus tria minuta prima vix excedebat. Praeter ſolitam curvaturam clariſſ. SPALLANZANI in eorum ſummitate aut baſi motum animadvertit vorticoſum, cumque magis vicini eſſent, accuratius clariusque obſervare potuit duos monticulos aquoſos apicibus preſterum ſubiectos, etiam hic enaſcentes, ſimul ac preſteres mare contingerent. Iam vidit, falſum ſe prius fuiſſe, cum huiusmodi monticulum pro corpore ſolido haberet. Imo erat velum aquoſum, aliquot pedum altitudine ſuper maris ſuperficie prominens, ſpumoſum. Quoniam hic illic lacerum erat, haud obſcure apparuit, cavitatem ſub eo contineri, quae duos pedes altiusque in mare penetraret. Igitur noſter, nec ſine iure, arbitratus eſt, certam quandam potentiam ab alto deorſum in mare agentem iſtam cavitatem generare, adeoque aquam cogere, ut ſeſe a latere attolleret. Cumque cavitas velumque apici duorum illorum praeſterum ſemper ad perpendiculum ſubiecta eſſent, eundemque, quem illi, greſſum accurate ſervarent viſum eſt SPALLANZANO, iſtam potentiam aliam eſſe non poſſe, niſi flumen aëris, quod e nube per preſterem deorſum rueret, aquamque marinam cum impetu ferret. Preſteribus magis magisque ad navem, ubi SPALL. vehereretur, appropinquantibus, aliud detexit

phae-

phaenomenon, quod iſtam ſententiam magis confirmaret: nempe fragor exauditus eſt confuſus continuusque, a duabus illis cavitatibus ortus, tanquam ſi plantae a vento vehementer agitarentur. A mari quidem cauſa et origo phaenomeni repeti non poterat, nam undae non niſi leviter ac ſine ullo ſtrepitu ab aura leviſſima criſpabantur. — Dum SP. hos duos preſteres contemplaretur, primus iam evanuerat, idque hoc modo factum eſt. Arcus ſemper magis magisque acutus evaſit, paullatimque ad mediam ſui partem tanquam angulum efformans ruptus eſt, quo facto monticulus aquae apparens protinus evanuit. Duo iſta arcus fragmenta per undecim adhuc minuta prima viſibilia fuerunt, tumque inſenſibiliter evanuerunt, uti nebula disparet, quae in nihilum reducitur. — Duobus ceteris praeſteribus ad navem ſatis appropinquantibus, has noſtro obſervationes licuit colligere. Apex preſteris maioris erat diametro trium circiter perticarum, haecque diameter vehementer creſcebat, prout preſter altius ſeſe efferebat. Materia preſteris ſimillima noſtro viſa eſt materiae nubium, cumque transpareret, intus preſterem vacuum eſſe apparuit. Clariſſime auditus eſt rumor aëris, qui ex alto deorſum per preſterem irruens mare vehementer quateret, ibique, ubi preſter undis immineret; aquam marinam excavaret, quae cavitas velo aquae ſpumoſo plures pedes alto circumdaretur. Superficies huius cavitatis ebulliebat, ſpumeſcebat, inque motum circularem rapiebatur. Quae omnia ab aëre impellente erant repetenda. Similia phaenomena in preſtere minori viſa ſunt. Ibi, ubi preſteres cum nube cohaerebant, motus in nube vorticoſus apparuit, clariusque etiam in variis preſterum locis. Maior preſter duravit 27. minuta prima, minor 18. Forſitan ambo diutius perſtitiſſent, niſi ventus eos nimis incurvando ſuperiorem

eorum partem tandem perfregiſſet. Qua rupta, concavitas maris omnis motusque evanuit. Arcus preſterum rupti aliquamdiu adhuc viſibiles manſerunt, cum ſuperior cum nube cohaereret, inferior a vento agitaretur. — Ex hiſce obſervationibus haec conſequuntur. Primum haec preſteris ſpecies nihil aquae marinae elevat aut abſorbet, neque etiam mari quicquam aquae infundit, ſed conſiſtit tantummodo in aëris flumine, qui e nubibus deorſum ruens ac canali concluſus, cuius materia nubium materiae analoga eſt, in ſuperficie aquarum effectus indicatos generat. Deinde hoc aëris flumen videtur oriundum eſſe a ventis ſibi invicem contrariis, qui aërem e nube egredientem in motum vorticoſum rapiunt. Poſt canalis vaporoſus, qui preſter audit, probabiliter generatur ab iſto vortice aëris, qui nubem violenter intrans partemque eius inferiorem inflans ipſam penetrat eaque tanquam involucro indutus deorſum ruit, nunc ipſam maris contingens ſuperficiem, nunc ad minorem deſcendens profunditatem. Porro imperfecta generatio preſterum, qui conos inverſos ſiſtunt longe prius deſinentes, quam mare contingunt, aut a ceſſatione fluminis aërei dependet, aut ideo locum obtinet, quod flumini aëreo nubis materies non tantum, quantum ad canalem preſteris ſatis prolongandum neceſſe eſt, reſiſtit; ut alia generationis perfectae impedimenta taceantur. Denique cum omnis vis huiusmodi preſterum ab aëre deorſum violenter ruente dependeat, navigiis quidem parvis damnum hoc modo poteſt afferri, ſed an magnis navibus tales preſteres nocere poſſint, recte dubitaveris. — Apparet itaque, ſpeciem preſterum a SPALLANZANO in mari Adriatico obſervatam novam non eſſe. BUFFONUS quidem ſuis in ſupplementis aliquot preſteres analogos, ab aliis deſcriptos, commemorat. Credit tamen noſter, neminem effectus

eorum

eorum pari cum ſucceſſu obſervaſſe. In diario Rozieriano (ann. 1787.) clar. MICHAUD, Architectus, preſterem marinum deſcribit, quem prope Nicaeam anno 1780 videre contigit. Sed huius natura ab indole preſterum a noſtro obſervatorum multum diſcrepat; etiam M. narrat, ſe vidiſſe fluidum vaporoſum, admodum compreſſum, maxime viſibile activumque, quod mari relicto preſterem intraret, perque eum in nubem usque penetraret, ſic ut a nube ad preſterem nunquam reverteretur. In itinerariis deſcriptiones leguntur aliorum etiam preſterum ab iis, quos hucusque commemoravi admodum diverſorum. — Obiter SP. monet, in mari alto tonitruum rumorem non longum, ut in terra ſed brevem momentaneumque eſſe — Ad finem paucula adduntur de vorticibus tam marinis quam terreſtribus.

XI. *Epiſtola de compoſitione aetheris a* TINGRY *ad* DE LA METHERIE *data.* Agitur hic de methodo oleum dulce acidumque ſulphureum volatile ab aethere vitriolico facile ac fine iactura ſeparandi. Adhibet clariſſ. TINGRY alcali volatile fluidum (*alcali volatile fluore*) aqua nonnihil temperatum. Recenſentur nonnulla experimenta cum tribus aetheris vitriolici ſpeciebus vario modo rectificatis inſtituta. p. 123.

XII. *Epitome epiſtolae* HENRICI REVEL REYNOLDS, *M. D. membri ſocietatis regiae Londinenſis, ad* G. BAKERUM, *ſuper uſu feliciſſimo praeparatorum plumbi in nonnullis haemorrhagiis.* (Praelecta fuit in collegio medicorum Londinenſi.) p. 131.

XIII. *Epitome diſſertationis* BASSIANI CARMINATI, *profeſſoris medicinae in univerſitate literarum Ticinenſi etc., de viribus medicis ſaponis acidi.* Primum modus, quo C. ſaponem acidum parat, docetur. Sumatur libra olei olivarum optimi, infundaturque mortario vitreo. Tum adiungatur ſemilibra acidi vitriolici concentrati ac dephlogiſticati. Acidum hoc paullatim p. 137.

latim adfundendum eſt, ſic ut, ubi aliquid eius additum eſt, liquor refrigeſcet, priusquam nova acidi portio adfunditur. Interim piſtillo vitreo miſtura commiſceatur, donec unam ſubſtantiam efformet. Poſt in vas capacius transfundatur ut maſſa aëri expoſita frigorique acidum ſuperfluum facilius ſecedat. Hoc tum ſeparetur filtrique ope removeatur; maſſa autem reſidua denuo commiſceatur, donec albida ſit, ac conſiſtentiam contrahat. Poteſt etiam alia methodo finis obtineri. Prout in ſuperficiem emergit ſubſtantia adſpectu pingui aut ſebaceo, protinus ea auferatur toties, quoties talis ſubſtantia in ſuperficie conſpicua fit. Materies denſa uno alterove modo collecta, aqua deſtillata ebulliente ſolvatur, ut acidum ſuperfluum auferatur. Ubi aqua refrigerata eſt, materies in eius ſuperficiem emergit, ſaponemque efformat. Quod ſi poſt hanc primam loturam ſapo particulis acidis adhuc inquinatus ſit, quae medico minus ſalutares videantur, ſapo eodem modo rurſus lavetur, haecque lotio repetatur, donec ſapo lingua tentatus nulla amplius acoris indicia prodat. Obtinetur hac ratione ſapo albidus ſolidusque, qui aquam facile ſubit, concuſſus ſpumeſcit, aquamque lacteam reddit. Diſſolvitur ab omnibus corporibus, quae maiorem cum acido vitriolico, quam hoc acidum cum oleo, habent affinitatem. — Eodem modo ſapo formatur acidus cum aliis oleis reſinisque; ſed ſi oleum eſſentiale adhibere placeat, aliter procedendum eſt. Tunc excipulum olei glacie circumdari oportet; alioquin acidum in oleum tanta cum vehementia agit, ut illud in carbonis ſpeciem transmutet. — Uſus eſt clariſſ. CARMINATI ſapone acido (etiam ab omnibus acidis particulis liberrimo) felici cum ſucceſſu in hydrope, ictero, lue venerea, chloroſi, tumoribus hepatis, lienis, meſenterii etc. Sapo acidus inprimis urinam ciendo profuit. Externe

adhi-

adhibitus parum aut nihil utilitatis attulit. Sapo os ex oleis pinguibus factus ſit oportet; nam quem ex oleis aethereis paraveris, nullum praeſtat uſum medicum. In renum veſicaeque calculis nihil poteſt a ſapone acido exſpectari, ſiquidem ſecundum noſtri experimenta in huiusmodi calculos nihil valet. Nocet hominibus, quorum fibrae nimis ſunt irritabiles, iisque, qui debilem habent ventriculum. Etiam vim antiſepticam ſaponis acidi auctor expertus eſt.

XIV. *Nova literaria.*

A. *Obſervationes et inventa.* De nova praepa- p. 147.
ratione corticis Peruviani, quam DE LUNEL, membrum collegii pharmaceutici Pariſini, promulgavit. — De G. RUSSELII experimentis ſuper antimonio ad methodum facilem paucorumque ſumtuum detegendam ſolutionis reguli antimonii in acido muriatico obtinendae tartarique emetici ultimae editioni diſpenſatorii Edimbergenſis congruenter praeparandi.

B. *Relationes de libris novis.* p. 150.

I. *Novae obſervationes ſuper analyſi aquarum mi-* T. VIII.
neralium, auctore Com. G. DE RAZOUMOWSKY. De p. 1.
analyſi aquarum medicatarum *) principiis mineralibus multum ſcatentium hic non agitur, lectorque ſuper ea erudiri cupiens inprimis ad ſcripta Bergmanniana amandatur. Tractat clar. auctor eas aquas medicatas, quae particularum mineralium tam pauperes ſunt, ut, ſi vulgari methodo examinarentur, modo principia earum craſſiora (terrae abſorbentes, argilla, ſilex) in conſpectum prodirent, adeoque tales facile poſſent pro crudis terreſtribusque haberi.

Aquae

*) Cum quaevis aqua particulas terreas ſalinasque contineat, malit R. aquas diſtinguere in medicatas easque, quarum nullus ſit uſus medicus.

Aquae minerales debiles his notis agnoſcuntur: 1) habent neque odorem, neque ſaporem, nec colorem, qui ſenſus feriat, ſunt limpidae frigidae, adque bibendum accommodatiſſimae; 2) reagentia parum eas immutant; nam ſi color talium aquarum reagentibus admiſtis immutatur, is effectus vix eſt ſenſibilis; ſi praecipitatio ſic cietur, lente ea fit, ſic ut ſaepenumero plures horae adeoque dies poſt admiſtionem praetereant. Nihilo minus tantummodo reagentium beneficio detegere licet, in huiusmodi aqua minerale quid contineri, cum ſoli ſenſus nihil, quod mineralis ſit originis, indagare valeant. Examen huiusmodi aquarum per reagentia inſtitutum fere indicat, maiorem in iis numerum particularum terrearum quam ſalinarum aut mineralium proprie dictarum contineri. Igitur analyſis earum aliter inſtituenda eſt, quam ſi magis eſſent ſaturatae, adeoque proceſſus ſic ordinandus, tanquam ſi nihil niſi principia terrea continerent. Scilicet aquae medicatae parum ſaturatae ad ſiccitatem usque evaporandae ſunt, reſiduumque actioni menſtrui exponendum poſtremoque terra inſolubilis examinanda eſt. Iam cum in hac ipſa terra ſubſtantiam ſalinam, quae aquam medicinalem conſtituit, quaeri oporteat, apparet, non quodvis menſtruum adhiberi poſſe, ſed tale eligendum eſſe, quod iſtam ſubſtantiam non decomponat. Huiusmodi menſtruum credit B. acidum eſſe vegetabile ſ. acetum quandoquidem aquae medicatae fere ſales, quorum baſin acidum minerale efficit, continent. Hoc autem puriſſimum maximeque concentratum ſit oportet. Si bonum acetum radicale deeſt, praeſtat uti aceto deſtillato, quam optimo aceto vulgari, nam cum deſtillatum ſit album ac limpidum, omnia ſolutionis phaenomena viſum magis feriunt. Quod ſi etiam acetum deſtillatum deeſt, praeferendum eſt acetum vulgare album. Quando igitur pars reſidui evapo-

evaporationis ſolubilis ab inſolubili per acetum ſeparata eſt, ſubſtantia ſalina, quam hae aquae continent, in parte inſolubili eſt quaerenda, idque auctor hoc modo inſtituit. Ubi reſiduum evaporationis ponderatum, terraque ſolubilis per acetum extracta eſt, quod reſtat, flammae lampadis exponit. Cuius proceſſus haec ratio eſt, quod ſapor ſalium eo magis liguam efficit, quo illi ſunt ſicciores perque calcinationem aqua cryſtalliſationis magis ſpoliati; ut hac ratione vel minimae materiae ſalinae portiones, quarum praeſentia nullo alio modo detegi poſſit, manifeſtari poſſe videantur. Adde quod flamma illa ſubſtantiam ſalinam non modo ſaporem ipſius intendendo, ſed etiam aliis phaenomenis inter calcinandum conſpicuis prodit; e. g. ſi praeter ſaporem ſali marino proprium decrepitatio aliqua obſervatur, certo licet concludere, in reſiduo ſalem muriaticum contineri. — Ubi hoc modo ſubſtantia ſalina, cuius naturam indagari oportuit, cognita eſt, reſtat, ut a terris, quibus admiſta eſt, ſeparetur, quantitatesque relativae horum principiorum definiantur.

II. *Epiſtola* KLAPROTHI *ad* BRUGNATELLUM *ſuper duabus novis terrarum ſpeciebus, chryſopraſio, apatite, hydrophano; cubis mineralibus (Würfelſtein) et platina. Scripta Berolini die* 14. *Febr.* 1789. Terram novam KL. detexit in circonia cum terra ſilicea commiſtam. Haec terra circonia acidis facile nubit. Acido quidem vitriolico iuncta ſalem efformat, cuius ſapor nec amarus eſt, uti ſalis amari, neque dulcis ſtypticus, uti aluminis, ſed peculiaris leviterque adſtringens. Solutio huius ſalis ad cryſtalliſationem perducta, gignit cryſtallos exiguas granuloſas, quae a centro ſub forma radiorum divergentes acus ſiſtunt, tanquam zeolithes pulchre radiatus. Si ſolutionem alcali aërato decomponas, terra cum aëre fixo non coniungitur, qua re a magneſia differt, quemadmodum a terra aluminari ob ſuam in alcali fixo cauſtico

ſtico inſolubilitatem diſcordant. — Altera terra nova cum argilla copulata partem eſſentialem efformat ſpati adamantini. Quamdiu cum terra aluminari coniuncta eſt, acidis alcalibusque, etſi non ſine omni difficultate, nubit. Sed ſublata hac unione terra pura acidis non amplius ſolvitur, neque etiam ſalibus alcalinis funditur. — Chryſopraſus Sileſiae, cuius pars eſſentialis merum quarzum eſt, colorem ſuum viridem niccolo debet. Regulus niccoli, qui ex hoc lapide per reductionem obtinetur, longe puriſſimus eſt, nulloque nec ferro nec arſenico inquinatus, nihiloque ſecius a magnete potenter attrahitur. — Apatiten Saxoniae, qui cryſtallos exhibet columnares fine pyramidibus, vidit KL. nihil eſſe aliud, quam ſpatum calcareum phorphorescens. — Elegans hydrophanus Saxoniae (Oculus mundi) conſtat e terra ſilicea, miſta illa cum pauca terra argilloſa (cuius $1\frac{1}{2}$ in centum part. inſunt) nonnullisque particulis aquoſis atque phlogiſticis. Itaque proprietas eius lucem in aqua transmittendi male hucusque magnae copiae terrae argilloſae in hoc lapide contentae attributa fuit. WESTRUMBIUS in cubis mineralibus Lüneburgenſibus ſalem ſedativum, calcem ac magneſiam intime unita reperit, KLAPROTHUSque eadem principia eruit. — De methodo platinam in porcellana per ignem figendi. Platinam ex aqua regia per ſalem ammoniacum praecipitatam immittit KL. vaſi retorto ignitque, donec omnis ſal medius volatilis ſublimatus ſit. Reſiduum, quod aliud nihil eſt, quam pura platina in ſtatu metallico, faciemque habet pulveris obſcure viridis, coniungitur, uti aurum, cum fluxu fuſorio, conteritur, atque penicilli ope porcellanae illinitur; quo facto porcellana ignitur ſub fornice, atque tunc politur. Poteſt etiam platina cum tribus quatuorve partibus auri coniungi; ſed ſemper platina ſplendorem exhibet argenteum pulcherrimum. Argentum

por-

porcellanae inuſtam eam non accurate tegit, facile offuſcatur vaporibus phlogiſticis, atque nigreſcit; e contrario platina, quemadmodum aurum, ſplendorem ſuum intemeratum conſervat.

III. *Epitome epiſtolae* GIOBERTI, *chemici academiae regiae ſcientiarum Taurinenſis, et ſocietatis regiae agriculturae Taurinenſis, ad* L. BRUGNATELLIUM *ſuper platina, aceto, et magneſia alba.* De purificatione, malleabilitate atque fuſibilitate platinae. Conſtat, rem hucusque per arſenicum tentatam fuiſſe. Iam PELLETIER proceſſum hunc eumque praeſtantiorem excogitavit. Platinam commiſcet cum vitro phoſphoreo et pulvere carbonario. Sic platina fuſibilitatem nanciſcitur cum phoſphoro, qui e carbone vitroque phosphoreo exſiſtit, ignis intenditur, qui omnem phosphorum elicit, platinaque reſtat, pura ac malleabilis. — De BONVOISINI praeparatione aceti radicalis *). — FONTANA, chemicus doctus, e magneſia alba obtinuit aërem dephlogiſticatum, poſtquam calor omnem aërem fixum extricaverat. Idemque obſervavit in terra aluminari. p. 15.

IV. *Continuatio notionum fundamentalium etc.* GREGORII FONTANAE, *cum appendice.* p. 17.

V. *Epiſtola clariſſimi* DE LA LANDE *ſuper nomine planetae Herſchel.* (Data ad auctores diarii literatorum.) p. 53.

VI. *Diſſertatio praeliminaris clar.* DE LA METHERIE. Recenſentur noſtrorum dierum inventa in aſtronomia, zoologia, botanica, mineralogia, phyſica, chemia. Diſſertationis hic modo initium legitur. p. 61.

VII. *Epiſtola* I. A. GIOBERTI, *ſocii variarum academiarum, ad* BRUGNATELLIUM *ſuper variis argumen-* p. 108.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXIII. p. 607. ff.

gumentis. Scripta Taurini die 6. April. 1789. De WESTRUMBII analyſi pſeudocobalti Rengersdorfienſis et waccae Hefeldenſis. — In Hiſpania CARRERE et ANGULO repererunt novum acidum vegetabile in cicere arietino LINN., quod tam forte eſſe perhibent, ut ſpiritui vitrioli vulgari non cedat. Odore accedit ad acidum formicarum, pellesque promtiſſime corrodit. — De CLOSSII ſpecifico contra taeniam. — LE DREUX varia experimenta ſuper effectibus electricitatis in animalia inebriata cepit. Semina alcohole macerata iis devoranda dedit, poſtque animalia temperaturae duodecim graduum ſub o expoſuit. Mox inebriatio ea ſtupida fecit, frigusque propemodum enecavit. Cum lethargus duas horas duraſſet, expoſuit animalia alii temperaturae unius gradus ſupra o; tumque ea, cum adhuc dura et immobilia eſſent, per horam dimidiam fluido electrico perfudit, nec tamen in vitam reſtituere potuit. E duorum ventriculo aliquot ſcintillas elicuit, haecque inter horae quadrantem ſigna motus dederunt, paucoque calore adiuvante penitus reſuſcitata ſunt. Cum duo alia eodem modo tractarentur, ſed ſine omni ſucceſſu, concuſſio electrica tentata fuit, cuius calorisque ope animalia ſemper in vitam reſtitui potuerunt. — CARRERE et ANGULO in Andaluſia, Hiſpaniae provincia, mineram plumbi viridem detexerunt, in qua metallum acido arſenicali vere mineraliſatum eſt. Formam habet granorum exiguorum, quae nunc ſparſa ſunt ſuper lapidibus quarzoſis aut feldſpato, nunc iis intermiſta. Saepe etiam obſervatur nucleus galenae corroſae, quae baſin videtur huius minerae conſtituere. Iidem repererunt genuinum vitriolum plumbi nativum. — GIORNA Taurinenſis reperit novum characterem in lepidopteris, qui pro characterе generico poteſt adhiberi, tam in

ſphin-

ſphingibus, quam in phalaenis. Sexum ſic indicat, ut nullus ſit errori locus.

VIII. WATSON *de inſigni vetuſtate ſpeculorum modique ea metallica cruſta obducendi.* p. 111.

IX G. PEARSON *obſervatio de bonis effectibus opii in caſu periculoſo retentionis urinae.* (Praelecta in regia ſocietate Londinenſi.) p. 121.

X. *Obſervationes agrariae* I. GELMI, *M. D. ſocii academiae Mantuenſis etc., per literas communicatae cum* L. BRUGNATELLIO. p. 125.

XI. *Fragmentum epiſtolae* WESTRUMBII *ad* BRUGNATELLIUM *ſuper tincal terreo Luneburgenſi.* Communicat *W.* cum BRUGNATELLIO figuram harum cryſtallorum, quae etiam in tabula aenea huic tomo adiecta ſiſtitur. p. 130.

XII. M. ROUCH *obſervationes ſuper virtute corticis benzois.* p. 131.

XIII. *Nova literaria.*

A. *Obſervationes et inventa.* De ACHARDI tentaminibus ſuper exſtinctione calcis vivae in aëre vulgari variisque aëris ſpeciebus. — Clariſſ. MALACARNE Taurinenſis evulgavit opuſculum ſuper lithiaſi valvularum obſervata in ſectione GHILINI, patris purpurati FONTANA, eiusdem urbis chemicus, illas analyſi ſubiecit, cuius hic fuit exitus. Partes oſſificatae ei traditae 194. grana pendebant. Cum fractae eſſent, apparuit, compoſitas eſſe e variis laminis, quibus interiecta erat ſubſtantia pinguis tenax, adhaerens illa variis ſtratis tunicarum arterioſarum ſubſtantia oſſea involutis, quae omnem oſſificationis ſuperficiem formaret. Partibus oſſificatis deſtillationi in retorta vitrea expoſitis, prodierunt grana 20 alcali volatilis concreti, grana 60 olei animalis, grana 12 phlegmatis aliquid olei interventu alcali volatilis tenentis, denique aërque fixus. Carbo in retorta relictus granorum fuit 94. Conſtitit e terra cal- p. 134.

carea terraque abſorbente. Apparet igitur, hanc oſſificationem eadem, quae oſſa, principia continere, etſi non prorſus eadem in proportione. — De ALLIONII ſupplemento florae ſuae. — COURET examinavit ſuccum radicis rhei rhapontici LINN. Reperit in eo acidum tartareum, terram calcaream ferrumque dephlogiſticatum. Idem ſuccus acido tractatus nitroſo acidum ſaccharinum dedit. — De nonnullis BEITLERI, profeſſoris matheſeos Mitavienſis, obſervationibus aſtronomicis.

p. 139. B. *Relationes de libris novis.*

To. IX. I. GREGOR. FONTANA *ſuper theoria pendulorum.*

p. 1.

p. 15. II. *Idem ſuper lege vis centripetae proportionali ſimplici a centro diſtantiae, ac ſuper eius applicatione ad doctrinam de pendulis.*

p. 32. III. *Continuatio diſſertationis praeliminaris clar.* DE LA METHERIE.

p. 90. IV. *Epiſtola, quam D.* LIND, *membrum ſocietatis regiae Londinenſis, medicus Windſorienſis ſociusque collegii medicorum Edinburgenſis, ad D.* SIMMONS, *membrum ſocietatis regiae Londinenſis, dedit; complectens obſervationes de efficacitate mercurii in cura morborum inflammatoriorum ac dyſenteriae.*

p. 102. V. *Fragmentum epiſtolae D.* I. PETRI FRANKII, *publ. profeſſ. in univerſitate Ticinenſi etc., ad* MALACARNIUM, *profeſſorem chirurgiae Taurinenſem, ſuper efficacitate moſchi opio iuncti ad dolores in gangraena ſicca minuendos.* (Scripta eſt epiſtola Ticini die 5. Febr. 1789.) Translata fuit in noſocomium, cui FRANKIUS praefectus eſt, aegrota gangraena ſicca laborans, quod malum a digitis pedis dextri inceperat, iamque ad ſuram, cum aegra in noſocomium reciperetur, penetraverat. Secutus eſt FR. POTTII methodum; ſed opium ſolum exſpectationi non ſatisfe-

tisfecit, quanquam ob dolorum vehementiam tandem doſis ad quatuordecim grana de die paullatim augeretur. Aegrota multum quidem ſopiebatur, ſed ſtatus ipſius manſit perinde deplorabilis, neque dolores leniebantur. Iam noſtro forte fortuna ſubiit tria grana moſchi optimi cum duobus opii granis copulare; tumque vel quatuor huius miſturae grana ad ſymptomata mitiganda ſuffecerunt. Hebdomade ſexta ſphacelus inſignem foetorem ſpargere coepit, ſuppuratio ſub genu apparuit, ſcribitque hic Fr., mox amputationem oſſium tentari poſſe, quae in parte inferiore penitus contecta ſunt muſculis ac ligamentis, (idemque de pede valet), quibus iam color nigerrimus, ſplendor duritiesque ſimilis vernici obtigerunt, ſic ut pes verae ac genuinae mumiae Aegyptiacae eſſe videatur. Quod hunc morbum prorſus ſingularem ac mirabilem reddidit, eſt aſcites, qui ad finem acceſſit, paullatimque, cum iſta FR. ſcriberet, cedebat infuſioni frigidae corticis peruviani, coniunctae illi cum terra foliata tartari et oxymelite ſcilliticо. Fatetur FRANKIUS ſe ignorare, an moſchus unquam in huiusmodi caſibus adhibitus ſit; hoc credit, opium ſolum morbum non ſanaturum fuiſſe.

VI. *Fragmentum epiſtolae* FRANKII *ſuper amputatione tumorum alborum.* (Epiſtola eſt ſcripta Ticini die 8. Mart. 1789.) Primum exitus morbi modo deſcripti enarratur. Aſcites penitus ſanatus fuit. Cum partes ſphacelo tactae ſeparatae eſſent, FR. aegrotae propinavit infuſionem corticis peruviani frigidam cum terra foliata tartari; quod remedium evacuationem aquarum in abdomine ſparſarum accelleravit. — Puella ſeptendecim annorum tumore laborans genu dextri in noſocomium, cuius curam FR. gerit, ſeſe contulit. Tumor erat colore naturali, inaequalis, durus, amplitudine capitis hominis adulti, ſumme dolens, coniunctusque cum atrophia p. 14.

perfecta cruris femorisque eiusdem lateris. Suſpicatus eſt noſter, malum ab initio fuiſſe tumorem album, ſed cum gradum ſummum attigiſſet, formatas fuiſſe concretiones, quae iam non aliud remedium minus terribile probabiliusque amputatione admitterent. Tam triſtis erat miſerabilisque conditio aegrotae ad oſſa usque conſumtae ac febre forti lenta omnibusque ſymptomatibus mortis vicinae male habitae, ut chirurgi Ticinenſes operationem inſtituere non auderent. Omnes glandulae femorales et inguinales inque aliis corporis locis ſitae affectae erant, doloribus acerbiſſimis et intolerabilibus ipſi opio reſiſtentibus. Cum nata eſſet aegrota parentibus lue venerea contaminatis, creditum fuerat, hoc malum in ipſam tanquam iure hereditario tranſiiſſe; data igitur ei fuerant in noſocomio Mediolanenſi remedia antiſyphilitica, ſed incaſſum. Tandem SCARPA, profeſſor Ticinenſis, operationem ſecundum methodum Alanſonianam inſtituit. Sic ſervata eſt puella, et intra octo dies, inquit noſter, noſocomium relinquet. Ingenue fatetur, ſe in diagnoſi forſitan falſum fuiſſe, fierique adeo potuiſſe, ut tumor albus non niſi per effectum ſecundarium locum haberet. In articulatione ipſa tumor repertus eſt ſarcomatoſus, albus, duriſſimus, mirae magnitudinis. Is ſeſe inſinuaverat inter extremitates oſſis cruris, fibulamque ſic compreſſerat, ut ad tres pollices ab extremitate fere pollicem ſesquialterum lata eſſet. Diſtantia huius oſſis a tibia ideo ſat magna erat. Tumor glandularum, qui ſymptomaticus erat, una cum febre paullatim evanuit, nutritio mire reſtituta eſt, doloresque prorſus deſierunt.

p. 107. VII. REBOUL *Examen phaenomenorum acidi nitroſi.* (Ex actis academiae Toloſanae.) Examinis huius hoc loco modo initium legitur.

VIII.

VIII. *Continuatio epiſtolarum* ALEXANDRI VOLTAE *ſuper meteorologia electrica.* Epiſtola ſeptima. p. 129.

IX. *Analyſis ſappari, auctore* de SAUSSURE, *filio.* (E diario phyſico Pariſino deſumta.) Hic lapis vulgo ſchoerlus caeruleus audit, quod nomen ei minime convenit. Reperitur in granita, in monte S. Gotthardi, Scotia etc. Centum grana SAUSSURIO dedere argillae 66. 92, magneſiae 13. 25, terrae ſiliceae 12. 81, terrae calcareae 1. 71, ferri denique 5. 48. p. 149.

IX. *Nova literaria.*

A. *Obſervationes et inventa.* Clariſſ. FOURCROY obſervavit, aërem alcalinum in aëre muriatico dephlogiſticato ſponte ſua accendi, quod phaenomenon experimenta BERTHOLLETI ſuper decompoſitione alcali volatilis magis confirmat. Idem vidit, phosphorum in eodem aëre acido flammam concipere. — Clariſſ. PELLETIER, BERTHOLLET et FOURCROY obſervarunt, ſi alcali vegetabile acido muriatico dephlogiſticato ſaturatum in acidum vitriolicum nonnihil concentratum immittatur, miſturam ſponte accendi. Novus hicce ſal admodum caute tractandus eſt. Denique LAVOISIER reperit, eundem ſalem, ſi celeriter in locum obſcurum transferatur, lucem ſpargere plus minusve viſibilem. — De SCHILLERI praeparatione cerae ſigillaris caeruleae (e caeruleo montano). — De BLIZARDI obſervationibus ſuper uſu externo tartari emetici. — De MASONI obſervationibus ſuper uſu ſalutari opii in hydrope. p. 155.

B. *Quaeſtiones ab academia ſcientiarum Senenſi die* 12. *Martii* 1789 *propoſitae.* p. 158.

C. *Relatio de libris novis.* p. 160.

I. *Diſſertatio de methodo parandi vini, quod Tartari Koumiſs dicunt, adiectis obſervationibus uſum eius in arte ſalutari ſpectantibus. Auctore* I. GRIEVE, M. D. To. X. p. 1.

M. D. Deſumta eſt e volumine primo actorum ſocietatis regiae Edinburgenſis, cuius iam alio tempore amplam recenſionem dedimus *).

p. 19. II. *Continuatio ac finis examinis phaenomenorum acidi nitroſi, auctore* REBOUL.

p. 39. III. *Continuatio epiſtolarum* ALEXANDRI VOLTAE *ſuper meteorologia electrica. Additamentum ad epiſtolam ſeptimam.*

p. 70. IV. E. LUTTRELL *obſervatio ſuper gangraena poſt caſtrationem oborta feliciterque curata uſu alcalinorum et acidorum ſeparatim ſumtorum.* Praelecta in ſocietate medica Londinenſi.

p. 84. V. *Relatio nonnullarum obſervationum ſuper irritabilitate, quam pedes aranearum aliquamdiu conſervant, ubi a corpore iſtorum animalium ſeparati fuerunt. Auctore Abb.* ROSA, *cuſtode muſei hiſtoriae naturalis in univerſitate literarum Ticinenſi.* Clariſſ. ROSA annos circiter ſeptem natus erat, cum inter ludos pueriles, quibus ipſe familiaresque ſui delectarentur, etiam ad hunc animum converteret. Sumtis necatisque aliquot araneis, non illis, quae magnas ſuas telas rotarum ad inſtar explicant, neque illis coloris nigri, quae in murorum latebris habitant, ſed iis colore cinereo pedibusque longis et craſſis, quae incolunt angulos habitationum neglectarum locorumve, ubi ligna aut foenum aſſervatur, quaeque telam horizontalem triangularem ab uno muro ad alterum extendunt, pedes integri a corpore ſeparati ſervabantur. Hos tum pedes alius alibi collocabat in cavernulis murorum, inprimisque in locis nonnihil humidis umbroſisque; orificio cavernulae negligenter apponebatur fragmentum tegulae aut vaſis fictilis, ſicque omnis praeparatio inſequentium obſerva-

*) Conf. Comment. noſtr. Vol. XXXIV. p. 142. ff.

ſervationum facta erat. Diebus ſequentibus ſuos quisque ſociorumque pedes aranearum viſitabant. Amovebatur tegula, gaudiumque pueris atque admiratio oriebantur, ſi pedes adhuc vivere intelligerent. Sane movebantur ſuis in articulationibus motu quodam oſcillatorio. Non meminit R., quamdiu haec irritabilitas duraverit, ſuſpicatur tamen, per hebdomadem adeo duraſſe. Non omnes tamen aranearum pedes ſic ſervati, ſed forſitan tantum pauciſſimi, ſic movebantur. Motus nonnullorum erat ſolus tremor ultimarum articulationum, alii e contrario plus minusve inflectebantur. Alii non movebantur niſi tacti, irritati, afflati oris calido halitu, baſi digitis prehenſi, contuſi. Multi denique prorſus non movebantur, quicquid pueri ad motum ciendum facerent. Suſpicatus noſter, haec experimenta menſe novembri diebus pluviis inſtituta fuiſſe. Motum hunc ſuperſtitem pueri recte comparabant cum motu caudarum lacertarum a corpore ſeparatarum; longe magis tamen motum pedum aranearum mirabantur utpote diuturniorem, etſi caeteroquin multo minor erat debiliorque. Sic inter ludos pueriles obſervatum fuit unum e pulchris irritabilitatis phaenomenis, dum magnus HALLERUS hanc mirabilem fibrae muſcularis qualitatem inter ſuas obſervationes anatomicas detegeret. Quomodo ipſe cum ſodalibus in rem inciderit, noſter non meminit. Forſitan ab aliis pueris rem traditione acceperunt; probabilius tamen ROSAE videtur, caſu ab aliquo detectam poſtque cum aliis communicatam fuiſſe.

VI. *Epitome diſſertationis ſuper furnis granis conſervandis, auctore* FOUGEROUX DE BONDAROY. (Recitata eſt diſſertatio in academia Pariſina.) p. 78.

VII. *Obſervationes ſuper virtutibus ligni quaſſiae amarae, auctore* I. C. LETTSOM. p. 86.

p. 110. VIII. *Methodus praeparandi conſervandique aves in uſum muſeorum hiſtoriae naturalis, auctore abb.* VINCENTIO ROSA, *cuſtode muſei hiſtoriae naturalis in univerſitate literarum Ticinenſi.*

p. 144. IX. *Fragmentum epiſtolae* LAURENTII CRELLII *ad* BRUGNATELLIUM. Refertur de nonnullis KIRWANI operibus.

X. *Nova literaria.*

p. 145. A. *Obſervationes et inventa.* De DOLLFUSII ac CRELLII experimentis ſuper dealbatione goſſypii ſericique per acidum muriaticum dephlogiſticatum aëremque acidum marinum dephlogiſticatum. — Spatum adamantinum, quod hucusque tantummodo in Sina reperiri crediderant, etiam in Gallia repertum fuit. Cum enim clariſſ. DE MORVEAU aliquot mineralia e variis Galliae provinciis chemice examinaret, genuinum eſſe ſpatum adamantinum vidit. — De SCHILLERI analyſi baccarum ſambuci. — De GMELINI examine ſalis murarii a clar. GIESECKE Hamburgi reperti. — Clariſſ. BRUGNATELLI chemicis proponit novum modum facilem promtumque acidum acetoſum purum ac concentratum obtinendi. Conſiſtit is ſalis acetoſi barotici per acidum vitriolicum decompoſitione. Sal iſte baroticus probe ſiccatus ſumitur; eique adiungitur acidum vitriolicum rectificatum. Hoc acidum ſalem decomponit, protinus attrahit terram ponderoſam, quacum ſpatum ponderoſum, inſolubile efformat, acetumque relinquit puriſſimum maximeque concentratum. Quo certiores ſimus, acetum acido vitriolico non contaminari, praeſtat acidi vitriolici paulo minorem copiam adhibere, quam ad terram ponderoſam penitus ſaturandam neceſſarium eſt; aut ſi quid acidi vitriolici aceto ineſſe videatur, ſufficit aliquid aceti barotici infundere, quo facto omne inquinamentum vitriolicum amovetur. — Praeter atra-

atramenta ſympathetica, quorum BRUGNATELLI in epiſtola ſua ad CRELLIUM recenſionem dedit *), etiam ſequentia reperit. Si ſolutione ſpirituoſa reſinae benzois ſcribitur, characteres inviſibiles duobus modis diverſis viſibiles fiunt: aut ſi chartam aquae purae immergas, nam tum characteres conſpicui fiunt colore candido diverſo e tinctu chartae humidae, aut ſi eam in aërem nitroſum vel vapores acidi nitroſi fumantis immittas, nam ſic characteres colorem flavidum contrahunt. Omnino omnes reſinarum ſolutiones ſpirituoſae loco atramenti ſympathetici poſſunt adhiberi, cum aquae interventu idem fere phaenomenon, quod reſina benzoina, exhibeant. Solutio ferri nitroſa, aqua deſtillata diluta, ne chartam corrodat utque perfecte limpida ſit; exhibet, ut notum eſt, atramentum ſympatheticum; etenim alcali Boruſſico admiſto characteres colore caeruleo tinguntur. Sed clar. BRUGNATELLI ad characteres detegendos hac utitur methodo. Introducit chartam in lagenam, in cuius fundo eſt bonum alcali volatile; characteresque inviſibiles a vaporibus huius alcali tacti protinus contrahunt colorem rubrum vividum, qualis ochrae martialis eſt. — SERAPHINUS VOLTA multas collegit obſervationes ſuper aquis martialibus Recoari, viditque, has aquas gaſatas in ſtatu naturali nihil vitriolici continere licet igni expoſitae reſidua dent ſelenitae ſalisque amari. Idem nuper inter petrefacta montis Bolcae varios detexit piſces marinos ac fluviatiles Indiae orientalis et Americae auſtralis, quorum ſuo tempore deſcriptionem evulgabit. — De fulgurationibus nonnullorum florum ab HAGGRENO obſervatis **).

B. *Quae-*

*) In tomo tertio huius Bibliothecae. Vid. ſupra.

**) Ex opuſculis ſelectis Mediolanenſibus, in quae

HAG-

p. 152. A. *Quaeſtiones propoſitae ab academiae Lugdunenſi pro anno* 1790.

p. 155. C. *Relatio de libris novis.*

To. XI. I. *Obſervationes ſuper aſino in ſtatu agreſti, ſive*
p. 1. *ſuper vero onagro veterum, auctore* PALLAS. E actis academae Petropolitanae.

p. 17. II. *Fragmentum epiſtolae* F. FONTANAE, *membri academiae regiae ſcientiarum Taurinenſi etc. ad* V. BRUGNATELLIUM *ſuper variis argumentis chemicis.* (Scripta eſt Aug. Taurin. die 15. Aug. 1789.) In itinere per valles Lanzenſes obſervavit F. ſchiſti in amiantum tranſitum quarzique in argillam decompoſitionem. Vidit aliquot fodinas ferri, vitrioli, cupri, fodinamque cobalti Uſſaglienſem, ad quam etiam fodina reperitur arſenici regulini. Montes primi ſunt ſchiſtoſi; paullatim conſpicuum fit aliquid quarzi, poſtque, ſchiſto relicto, penitus quarzoſi apparent; hinc exigua portione feldſpati admiſta ad naturam graniticam pedetentim appropinquant. — Obtinuit F. ſpeciem comphorae ex oleo eſſentiali terebinthinae, aniſi, menthae. In lagena oleo cerae ter deſtillato plena inter annum naſci vidit cryſtallos ſubtiliſſimas. Cum eas tempeſtate calida examinare vellet, cryſtalli rurſus evanuerant. Credit, calore ſolutas fuiſſe, exſpectatque, ut eas examinet, hiemen.

q. 28. III. *Obſervationes ſuper tinctura, auctore* VOGLER. E mercuriali perenni LINN.

p. 32. IV. *Fragmentum epiſtolae* LAURENTII CRELII *ad* BRUGNATELLIUM *ſuper partibus conſtitutionis acidorum vegetabilium.* (Scripta eſt Helmſtadii die 26. Iul.

HAGGRENI obſervationes ex novis actis Holmienſibus transſumtae videntur.

Jul. 1789.) WESTRUMBIUM reperiſſe, acida vegetabilia conſtare ex acido phosphorico acidoque aëreo.

V. *Continuatio epiſtolarum* ALEXANDRI VOLTAE *ſuper meteorologia electrica.* Epiſtola octava.

VI. *Diſſertatio ſuper urticatione, auctore* ERNESTO SETTI, *doctore medicinae Correggiano.* Iam dudum uſus urticationis medicus cognitus fuit. ARETAEUS quidem ea in cura lethargi feliciter uſus eſt, ac CELSUS eius uſum etiam in epilepſia laudat. DOLAEUS in encyclopaedia medica eam utilem reputat in apoplexia inque ſanatione paralyſeos. Ad rem magis demonſtrandam a SETTO nonnullae offeruntur obſervationes, quas aliquis amicorum eius cum ipſo communicavit. Is laborabat acerrimo rheumatismo, qui lumbos natesque occuparet, ſummosque dolores gigneret, quemcunque ſitum aeger aſſumeret. Cum medicus non adeſſet, nec facile haberi poſſet, (ruri enim degebat aeger,) aegrotusque de uſu ſalutari urticationis in nonnullis caſibus ſe legere et audire meminiſſet, ſeſe urticis recentibus caedendum curavit. Mane proximo dolores minutos eſſe ſenſit, itaque urticatio tribus veſperis deinceps repetita eſt, qua re morbus perfecte ſanatus fuit. Succeſſus in hoc rheumatiſmo obſervatus movit eundem, ut urticatione in alio morbo non diſſimili uteretur. Cum enim capitis doloribus graviſſimis vexaretur, qui inde ortum traxerant, quod in aëre humido ambulans caput nudum habuiſſet, fronte confricata, aliquot recentes urticas prehendit, clauſisque oculis partem confricatam ſaepius cecidit. Sic natae ſunt aliquot veſiculae exiguae, quarum beneficio cauſa morbifica extracta eſt, ſiquidem cephalalgia penitus ceſſavit. Nonnemo cum diuturno admodumque periculoſo morbo laboraſſet, ad ſanitatem reſtitutus non potuit amplius dextro brachio manuque uti, ſic ut ad brachium illud tantummodo attollendum adminiculo alte-

alterius brachii opus eſſet. Variis remediis fruſtra tentatis, urbe relicta rus petiit. Ibi cum in vicinia amici SETTI degeret, hic ei auctor ſuaſorque fuit, ut partem aegram fortiter fricaret tumque urticis recentibus ſaepius cedendam curaret. Hebdomade praeterita, aeger hoc modo perfecte ſanatus eſt. — Iam SETTI amicus etiam vim aphrodiſiacam urticationis tentare conſtituit. Bovis, quae taurum averſaretur, nates urticis recentibus curavit cedendas. Ita factum eſt, ut bos taurum facile admitteret. Hic tamen urticationis uſus in hominibus videtur reprobandus. — Utilis eſt urticatio in rheumatiſmis non febrilibus, inprimis in illis, qui ab acrimonia ſcorbutica, venerea aliave non dependent. Provocat ad cutem humorem transſpirabilem, qui retenſus ſaepe fit morborum cauſa, facitque, ut ille ibi depoſitus e corpore ſecedat. Eadem de cauſa urticatio etiam in ſcabie retrogreſſa iure laudata eſt. Modo prorſus contrario remedia agunt pinguia, quae tam frequenter adhibentur, nam poros obſtruendo faciunt, ut humor ſtimulans non diſſipetur, ſed in partes aliquot corporis interiores ſecedat, ibique mala ſaepe graviſſima progignat. Urticatio eundem praeſtat uſum, quem cucurbitulae, fricationes, multaque emplaſtra copioſum ſudorem promoventia, qua de cauſa ea medici in aliis morbis analogis uti poſſent. Quadamtenus etiam cum ſinapiſmis convenit, interdumque omnia remedia memorata multis de cauſis ſuperat. Tamen eius uſus vitandus eſt in articulationibus omnibusque partibus inflammatis. Stimulus urticarum in paralyſi irritabilitatem ac ſenſibilitatem fibrarum ſopitam aut imminutam reſuſcitat atque intendit. In epilepſia obſtinata urticationem feliciter adhibuit IOS. MICCOLI. Huius pater eodem remedio ſanavit in homine adulto lethargum pro incu-

rabili

rabili habitum, convulſionesque in puero vehementiſſimas inde ortas, quod cruſta lactea improviſo evanuerat.

VII. *Epiſtola clariſſ.* DE MORVEAU *ad* LAURENT. CRELLIUN *ſuper argento fulminante* BERTHOLLETI *et ſupra decompoſitione aquae.* Ex annalibus chemicis Crellianis deſumta. p. 61.

VIII. *Experimenta ſuper utilitate, quam in arte tinctoria praeſtare poſſent ſemina trifolii, auctore* VOGLER. p. 63.

IX. *Epiſtola* IOANNIS MARIAE MAZZI *ad D.* DOMINIC. LUDOV. GALMETTI *nonnullos complectens obſervationes ſuper viribus medicis olei ricini.* Adhibuit clariſſ. MAZZI oleum ſimplex ſeminum ricini expreſſorum ſine ulla additione aut coctione, quale fere ab Anglis, Gallis Genevaeque cum ſucceſſu uſurpatum fuit. Semper purum ſine ullo additamento propinavit, ſic ut aegrotus ſingulis horis cochleare ſumeret, donec bis terve alvus laxaretur; ad quem finem obtinendum ad doſin trium unciarum veniendum fuit. Conſtat oleum ricini duplici nomine vulgo laudari, primum tanquam lene laxans, deinde tanquam anthelminthicum. Tanquam laxans inprimis in illis caſibus noſtro videturprodeſſe,ubi alvus per epicraſin ita movenda eſt, ut tormina non exacerbentur, aut etiam ibi, ubi regione abdominali inflata tenſaque alvoque obſtipata metuendum eſt, ne vehementibus contractionibus inteſtini purgante, quod irritet, excitandis letalis conſtrictio accidat. Ad hanc eius ſimulque anthelminthicam virtutem declarandam clar. MAZZI hiſtorias aliquot morborum recenſet. Ad anthelminthicam quod attinet, taeniam noſter huic remedio cedere vidit. Ad finem effectus olei olivarum, amygdalarum dulcium ricniiue inter ſeſe breviter comparat. Optat ut cultura ricini magis in Europa promoveatur, ſaltim ex America ſemina afferantur a rancore diligenter defenſa. p. 69.

X. *Epi-*

p. 83. X. *Epitome epiſtolae clariſſ.* VAN MARUM *ad* BERTHOLLETUM. (Ex annalium chemicorum Pariſinorum Tomo II. 1789.) — Refertur de experimentis electricis cum machina magna Teyleriana inſtitutis ad aëris fixi carbonisque naturam rimandam.

p. 90. XI. *Obſervationes phyſicae ſuper lumine phosphorico tartari vitriolati, auctore* I. A. GIOBERT, *ſocio variarum academiarum.* (Recitatae in regia academia ſcientiarum Taurinenſi anno 1789.) *).

p. 102. XII. *Epiſtola* HENRICI CALLOUD *ad* PETRUM RUBINI *controverſiam ſpectans de tunica vaginali teſticuli aliisque, inventis anatomicis.* GIRARDUS contra CALDANUM ac BONDIOLUM defenditur.

p. 129. XIII. *Obſervationes ſuper nonnullis effectibus luminis in varia corpora, auctore* DORTHES, *M. D. ac membro variarum academiarum.* (Deſumtae ex annalibus chemicis Pariſinis.) Agitur de lucis influxu in cryſtalliſationem inſigni, vique attractiva, quam illa in ſubſtantias vaporoſas aëreas et gaſoſas exſerit, praetereaque exemplis docetur, quid lux in animalium vel mortuorum vel vivorum corpora valeat.

XIV. *Nova literaria.*

p. 137. A. *Obſervationes et inventa.* LAUR. CRELLIUS ad clariſſ. D'ARCET perſcripſit, SCHILLERUM, cum miſturam e parte una ſalis ammoniaci, tribus potaſſae, una et dimidia aquae compoſitam deſtillaret, donec omnis ſal cryſtalliſabilis tranſiiſſet, poſtque recipulum mutaret, liquorem obtinuiſſe, qui ſeſe perinde haberet, ut optimum ſanguinis lixivium. — PETR. CAMPERUS accuratis obſervationibus confirmavit, pullos piparum, quemadmodum gyrinos, caudatos eſſe. Quemnam uſum cauda in iis habeat, non

*) Ex actis academiae Taurinenſis. Vid. Comment. noſtr. Vol. XXXIII. p. 588. ff.

non audet decernere. In gyrinis quidem natationi egregie inſervit, quamdiu pedes poſteriores formati non ſunt. Obſervationes Bozzolaſci inſtitutae. — De CHAPTALI nova vernice pro vaſis fictilibus e terra argilloſa Murvielenſi vitroque viridi.

B. *Quaeſtiones a ſocietate patriotica mediolanenſi propoſitae.* p. 141.

C. *Relatio de libris novis.* p. 154.

(Reliqua proxime.)

II.

D. IOH. CHRIST. WILH. IUNCKERS, *Profeſſors der Medicin zu Halle, Gemeinnützige Vorſchläge und Nachrichten über das beſte Verhalten der Menſchen in Rückſicht der Pockenkrankheit. Erſter Verſuch für die mittlern Stände nebſt einem Anhange für Aerzte. Halle zu finden beym Verfaſſer und — zu Leipzig — bey H. Hahn.* 2792. 8. *mai. pagg.* 236. Appendix pagg. 96. Praefatio et index contentorum pagg. VIII.

i. e.

IO. CHRIST. GUILIELMI IUNCKERI conſilia et relationes de optimo agendi modo ratione variolarum, in uſum publicum. Tentamen primum pro claſſibus mediis hominum, cum appendice pro medicis.

Epidemia varioloſa Halae 1791. graſſata, neque quum librum hunc ederet Cl. Auctor (16. Apr. 1792), prorſus ceſſans, illum permovit, ut non modo civibus ſuis magnitudinem periculi, quod morbus hic, apto nomine peſtis infantum ſeu malum africanum vocandus, ſemper comitem habet, oſtenderet,

ſed etiam, qua ratione idem imminui et poſteris tem-
p. 9. poribus plane tolli poſſit, edoceret. Adſcitis igitur aliquot medicinae doctoribus et ſtudioſis ſingulae domus urbis et ſuburbiorum luſtratae, quo de numero eorum, qui variolis aut naturalibus aut inſitis laboraverint, mortuorum, poſt eaſdem aliis morbis affi-
p. 19. ctorum, et ab iis adhuc immunium, conſtaret: ex 2151 aegrotis 430 mortui, 129 morbis ſubſequentibus gravioribus, 151 levioribus affecti, 7 viſu pri-
p. 23. vati ſunt. Indices eorum, quos praecedentibus annis
p. 33. idem morbus ex vivis ſuſtulit. Quae in epidemia iſta laudabiliter, quae male geſta ſint, cum apud Halenſes,
p. 42. tum apud exteros: obiectiones celebrium aliquot medicorum adverſus inoculationem, forſan potiſſimum ingenii oſtentandi cauſſa prolatas, plus nocuiſſe quam credi poſſit; optima conſilia ideo praecipue effectu carui-ſſe, quod primum non ad populum, ſed ad prin-
p. 43. cipes directa fuerint. Argumenta, omnes univerſim, inprimis vero Halenſes, ad melius agendum impellentia: omnia haec ex flagrante commodi publici amore
p. 57. depromta et egregie expoſita. Officia neceſſaria ad finem optatum, ut morbus iſte vel prorſus evitetur, vel infantes inſitione adverſus venenum eius inſenſiles reddantur, vel in variolis naturalibus periculum mortis morborumque ſubſequentium, quantum fieri
p. 58. poſſit, avertatur. Praemittenda generalia in doctrina de variolis: diſpoſitio corporum; proprietates
p. 64. miaſmatis varioloſi; impreſſio generalis in ſyſtema nervoſum ita comparata, ut mutationes inde productae nonniſi ſemel exiſtere poſſint; mutatio humorum antea ſanorum in illud, ideoque vis eiuſdem multiplicativa; ea illius conditio, ut viribus corporis feliciter ſubigi poſſit, ſi in hoc optima via ingeratur et ſub optimis circumſtantiis idem afficiat. Diſtinctio morbi varioloſi in verum et ſpurium. Contagii diverſi modi. Benignitas et malignitas. Applica-

plicatio horum omnium ad inſitionem, et comparatio variolarum naturalium et inſitarum. Conditiones, ſub quibus inoculatio ea omnia praeſtare poſſit, quae ab illa exſpectare fas eſt: cautio, ne per eam morbus ad vicinos propagetur aut epidemia exoriatur; negotium hoc ſolis medicis committendum, et ab his ſummo ſtudio peragendum. Commoda inoculationis ſub his conditionibus. Refutatio earum obiectionum, quae vel ſpecioſiores ſunt, vel maius apud noſtrates pondus habere ſolent. Corollaria quaedam, inprimis de aucta creſcentibus aetatis annis diſpoſitione multorum corporum, miaſma aliquando ſuſcipiendum in ſe ipſis multiplicandi tamquam gravi pro inſitione argumento. Conſilia ad Halenſes, potiſſimum ad matres familias, directa de inſitione. An graſſante epidemia eadem ſuadenda ſit in genere neque affirmandum neque negandum; huius igitur quaeſtionis deciſio medicis relinquenda. Inoculationum Halae peractarum hiſtoria: mors infantis, probabiliter iam variolis naturalibus ante inſitionem infecti, accedente dentitione, omiſſis praeparationibus neceſſariis, per 15 annos totius fere urbis terror; plurimas recentioribus temporibus inſitiones Cl. MECKEL peregit. Argumenta praeter inſitionem curam peculiarem variolas naturales arcendi poſcentia. Hoc poſſibile eſſe, et hoc modo futurae morbi exſtirpationi viam poſſe pandi: ex natura morbi ipſa, felici ſucceſſu eorum, quae adverſus ſimiles morbos, peſtem et lepram, facta ſunt, et exemplis in variolis ipſis hinc inde, potiſſimum Ceſtriae, ſecundum Cl. HAYGARTH. Idea generalis eorum, quae ad aſſequendum hunc finem peragenda ſunt: medicina popularis, politiae medicae et laboribus ſingulorum amicorum populi viam ſternens; labores cum pertinaci quadam conſtantia lentis greſſibus procedentes, ne quid praecipitanter

p. 77.
p. 95.
p. 104.
p. 106.
p. 115.
p. 127.
p. 133.
p. 141.
p. 145.
p. 156.
p. 163.
p. 165.

agendo damnum emergat; varii hunc in finem a medicis ſuſcipiendi labores, ſcriptorum popularium evulgatio, diſtributio operae in plures, ſingulis certo ſtadio aſſignato, inſtitutum ad formandos miniſtros aegrorum cet. quae omnia hic repetere brevitas nos prohibet. Scriptum ſecundum, quod Cl. Auctor meditatur, hocce primum, de quo iam ad lectores referimus, excepturum, Halenſibus gratis diſtribuendum, regulas in decurſu variolarum ſervandas eractiſſime proponet. Poſt elapſum longius temporis ſpatium maioribus adhuc opus erit remediis: domo pro aegris variolis naturalibus affectis, aliaque inſitioni deſtinata; adiumentis a parte principis; legibus hunc in finem ſanciendis; ſumma circumſpectio-
p. 180. ne, ne miaſma ab exteris locis adferatur. Impedimenta primaria has cautiones difficiliores reddentia, imo paſſim ſuffocantia: inprimis reſponſiones, quas Cl. Auctor tulit, quum cives ſuos rogaret, ut cum ad curam publicam variolarum, tum ad aedes recipiendis apparenter mortuis dicandas aliquid conferp. 205. rent. Quid in variolis naturalibus agendum ſit? Curatio earum per medicamenta ſtrictiſſime medicis ſolis tradenda. Impedimenta primaria felicis curationis: hic etiam commendatio medicinae ruralis iuſtis limitibus circumſcriptae, et noxae ex ſcriptis medip. 225. cis popularibus redundantes. Commoda ex conſiliis propoſitis exſpectanda: ſomnium de felicitate tem-
p. 232. porum futurorum. Quaedam de officio ſepulturam hominum, in quibus fomes vitae nondum plane exſtinctus eſt, cavendi, ad ſupplenda ea, quae ſuperius iam ſuper hoc argumento expoſita fuerant: quaedam de morte ſubita b. patris Auctoris noſtri.

Haec omnia nonniſi pauciſſimis, indicis quaſi, ad inſtar, lectoribus noſtris tradere potuimus, fervidum in commune bonum Cl. Auctoris amorem fauſtiſſimumque ipſius coeptis ſucceſſum apprecantes.

Pro-

Progredimur iam ad appendicem, in quo ſequentia continentur:

1. Tractatus Cl. REIL, de quo iam in his commentariis relatum eſt *). p. 3.

2. De variolis Gibichenſteinii et Halae 1791. p. 52. graſſatis, auctore Cl. DOLSCIO. Sub initium eius in omnibus aegrotis curae ipſius commiſſis impuritates primarum viarum, plerumque bilioſas, vidit, quarum evacuatio neglecta tempore ſuppurationis ſtatum putrido-nervoſum inducebat, nulla arte ſuperabilem. — In duobus loco variolarum veſiculae humore flaveſcente plenae exoriebantur, quarum aliae vel affrictu vel ſponte diſruptae ſine ſubſequentibus cruſtis; aliis deſquamatis, aliis in ulcera chronica humida tranſeuntibus. — Diarrhoea faeculenta tempore eruptionis, illam non ſupprimens, ſed iuvare potius viſa. — Variolae confluentes lymphaticae, longe tardius ſolito ſicceſcentes, ſecedentibus verſus finem unguibus et epidermide utriuſque manus. — In variolis malignis remedia exquiſitiſſima et laudatiſſima effectu optato caruerunt. — Dentitio nonnunquam ſine influxu noxio in morbum varioloſum ſucceſſit; ſcrophulae variolas non mutarunt. In uno aegro tumor et exſiccatio inverſa ratione evenerunt, primo in pedibus, poſtremo in capite. Ad facilitandam eruptionem ſinapiſmi largi in ſuris et balnea emollientia maximi uſus fuerunt. — Opium uſum nullum, potius noxas attulit. Corticis autem peruviani utilitas inſignis durante ſtadio ſuppurationis et exſiccationis, et morbo ſuperato. Purgantia leniora per totum decurſum morbi, praeſentibus primarum viarum ſordibus copioſis, proficua. —

*) Vol. XXXIV. p. 656. ſeq.

p. 60. 3. Obſervationes meteorologicae Halae 1791. factae; de variolis naturalibus recurrentibus cet. Auctore Cl. DANIEL. Filiola eius, antea iam cum adverſa valetudine conflictata, nonniſi difficillime reliquias variolarum, potiſſimum a metaſtaſi ad pulmones facta, ſuperavit, quarum cauſſa vix alia quam negligentia nutricis videbatur, infanti per plures hora ſomnum capite retrorſum flexo permittentis. Variolarum redeuntium exempla adeo clara obveniſſe, ut nullum dubium ſupereſſe poſſit; ex his puerum 14 annorum diarrhoea dyſenderode obiiſſe.

p. 67. 4. De variolis naturalibus redeuntibus obſerva-
p. 69. tio Cl. IUNGHANS; 5. de eodem argumento ex litteris Cl. MÜLLER, a conſiliis rerum montaniſticarum Berolini, et 6. obſervatio Cl. WELLER, chi-
p. 71. rurgi Halenſis. Omnes hos caſus Cl. IUNCKER ſub
p. 72. examen vocat, variolas naturales aeque ac artificiales in veras, ſpurias et ambiguas dividit, et ex hoc ipſo argumento inſitionem commendat.

p. 76. 7 — 10. Excerpta ex litteris Cl. BIESTEN de uſu lotionum faciei cum aqua frigidiſſima, ſed non niſi ad ſtadium ſuppurationis uſque; Cl. OLLENROTH de iis, quae ſectiones atrophia poſt variolas demortuorum et infantis rhachitici iiſdem enecati obtulerunt; Cl. RICHTER, Prof. Hal. inprimis de corticis peruviani in variolis malignis efficacitate; Cl. POSSE de caſibus duobus variolarum lethalium, et de noxis remediorum domeſticorum exaeſtuantium.

p. 81. 11. De primis variolarum veſtigiis, Auct. Cl. SPRENGEL: in ſaeculo 4. ſecundum locum quemdam ex EL-HAMESY a Cl. BRUCE *) allegato.

12. De

*) Travels B. II. Ch. 8.

12. De epidemia varioloſa Deſſaviae 1791. graſſata, ex litteris Cl. OLBERG. Iudae inſitionem reprobabant. p. 83.

13. Demortuorum (3) ſectiones, Auctore Cl. MECKEL. In infante bienni inteſtinorum craſſorum, potiſſimum coli deſcendentis, glandulae parenchymate inflammato et medio folliculo elevato perfecte variolas nondum plenam maturitatem adeptas referebant, et hodie num in ſpiritu vini eandem faciem ſervant. In alia 20. hebdomadum, 8 morbi die variolis confluentibus et catarrho ſuffocativo demortuo, membrana epiglottidem ligamenta glottidis et ventriculos laryngis obducens oedematoſa, gluttidem anguſtiſſimam reddens, 10—12 diſtinctis variolis umbilicatis obſita.

14. Epiſtola Cl. GREN, examen ſtercoris ovilli p. 88. ſiſtens: ei parum ſalis alcalini volatilis, partes gummoſas, aliquot reſinoſas, ſine dubio etiam nonnullas glutinoſas ineſſe cum ſubſtantia fitroſa ex vegetabilibus comeſtis ſuperſtite. Vim agros fecundandi ab humo ex prompta ſtercoris ovilli putrefactione genita pendere; nitri ex terrae ovilium generationem ab urina putrefacta repetendam eſſe. Effectum igitur ſtercoris huius in variolis nihili faciendum.

Sub finem Cl. IUNCKER eruditos exteros rogat, p. 96. ut ſua cogitata communicent, quo varia doctrinae dubia capita, v. c. de infectione per inſecta, de iuſta graduum contagii determinatione, certiora reddantur.

III.

Kurzgefaßtes Syſtem der gerichtlichen Arzneywiſſenſchaft, durch I. D. METZGER, *königl. Leibarzt und Profeſſor der Arzneywiſſenſchaft. Königsberg und Leipzig* 1793. *im Verlag der Hartungſchen Buchhandlung*, 8 *mai. pagg.* 414. Dedi-

catio, praefatio et conſpectus contentorum pagg. XXVI.

i e.

Epitome ſyſtematis medicinae forenſis, auctore I. D. METZGER.

Ante aliquod tempus Ill. Auctor compendium politiae medicae medicinaeque forenſis ediderat*), cuius vero imperfectiones ipſe ſub uſu illius in praelectionibus academicis perſpexit: priorem autem eiuſdem partem quo minus denuo elaboraret, otium ipſi fecit opus Cl. HEBENSTREIT a nobis **) indictum. Iam ergo partem ſecundam ſeu medicinam forenſem amplius elaboratam, ſervato maximam partem ordine dicendorum, exhibet, ut adeo, hoc et HEBENSTREITII libro inſtructi, compendio priore carere poſſimus. Multum commodi accedit ex diligenti ubiuis ſcriptorum allegatione, omiſſis auctoribus „*levioris notae*“; optaremus tamen pace Ill. Viri, ut in talibus libris contentionis litisque occaſio, quantum fieri poſſit, evitetur, non autem conſulto et vi quaſi attrahatur, quod inprimis pp. 154. 209. 256. factum eſſe dolemus. Praeter introductionem in ſeptem ſectiones diviſus eſt liber, quarum I. *requiſita generalia*, II. *laeſiones*, III. *partus dubios*, IV. *morbos dubios*, V. *aetates durationemque vitae*, VI. *concubitum illegalem*, et VII. *dubia de generandi potentia* ſiſtit.

p. 60.

p. 1. *Introductio.* Diſtinctio politiae medicae a medicina forenſi. Brevis huius hiſtoria. Scriptores praecipui,

*) *Handbuch der Staatsarzneykunde* — *Züllichau* 1787. 8.

**) Comm. noſtr. XXXIV. p. 669.

cipui, qui vel universum eius ambitum vel singulas partes emensi sunt, vel observationes cet. collegerunt. Necessitas eiusdem ratione doctorum academicorum, assessorum collegiorum medicorum, medicorum physicorum et chirurgorum, iurisconsultorum denique, iudicum aeque ac defensorum. Quae ad legalem corporis delicti disquisitionem requirantur. Visum repertum et iudicium medicum a magistratibus petitum. Obiecta medicinae forensis. Quasnam diquisitiones medico physico declinare liceat. An eidem competat ante obductionem et sub ea in eas res inquirere, quae mortem obiecti quaestionis antecesserint vel comitatae sint? quod recentius edi- p. 31.
ctum regis Borussiae prohibet: Illustr. Auctor „qua scriptor illud negat, qua physicus huic mandato pro viribus morem gerere annisus" (de hoc argumento etiam inferius pp. 45. 80. 306.) Officia chirurgi forensis: chirurgis legionum in exercitu Borussico (1789.) licentia data in caussis criminalibus vices medici gerendi (si hic non praesens vel a loco inquisitionis remotus sit *)). Obstetricum tantum in levioribus casibus fide dignum.

Sect. I. Cap. I. Requisita necessaria medici fo- p. 36.
rensis. Cap. II. Scientiae auxiliares. Anatome in- p. 38.
primis pathologica et comparata. Ulterior elaboratio ideae, quam Cl. HAGEN in programmate **) exhi-

 buit,

*) *Repertorium für die öffentliche und gerichtliche Arzeneywissenschaft, herausgegeben von D.* IOH. THEODOR PYL. *II. Band. Berlin* 1791. 8. *p.* 333. *u. f.*

**) Isagoge ad chemiam forensem. Regiom. 1789. Conf. etiam Primae lineae chemiae forensis, Praes. HENR. FRID. DELIO, Auct. et Resp. IONATH. DAV. GUNDELACH, Erl. 1741. 4. in quibus tamen etiam politiae medicae ratio habetur.

buit, optanda. Cognitio legum, inprimis criminalium, earumque tenoris (*Eſprit des loix*). Quaedam etiam de officio medici forenſis publico.

p. 47. *Sect. II. Cap. I. Lethalitas laeſionum univerſa.* Limites in diiudicandis laeſionibus inter id, quod medicorum et quod ICtorum eſt, in eo ponendi, quod illi nonniſi damnum laeſo illatum conſtituant, hi vero ſoli crimen a laedente commiſſum diiudicent; damnum autem iſtud praecipue ſecundum lethalitatem aeſtimatur, unde eius diſtinctiones apud varios

p. 62. Auctores adeo variae. Diſtinctionem in *abſolutam, per ſe*, et *per accidens*, in iudiciis ditionum regis Boruſſiae generaliter receptam, Ill. Auctor etiam ſequitur, rationibus alibi expoſitis.

p. 65. *Cap. II Axiomata generalia.* Lethalitas *abſoluta* dicitur, ubi laeſio eſt cauſſa mortis proxima, unica, arte non ſuperabilis; *per ſe* lethales ſunt laeſiones, quae ſibi ipſis relictae morte terminantur, aptae tamen remediorum adminiſtratione interdum medelam admittunt, licet ad eam praeſtandam magnum in circumſtantiis cooperantibus poſitum ſit momentum; lethalitas *per accidens* aſſumitur, ubi laeſio non cauſſa proxima et unica, ſed tantum remota cooperans, mortis fuit, aut alia cauſſa cooperans acceſſit, aut auxilia artis probabiliter efficaciora exſtitiſſent, ſi iſto tempore et modo adhibita fuiſſent. Tempus ad determinandos lethalitatis gradus aſſumi non poſſe.

p. 78. *Cap. III. Lethalitas laeſionum ſecundum diverſas earum ſpecies.* Conditio vulneris ratione inſtrumenti laedentis, eiusque directionis; haemorrhagiae; contuſiones earumque ab ecchymoſibus per mortem inductis diſtinctio; ſuccuſſiones, theoria reſonitus etiam ad laeſiones pectoris et abdominis applicanda; luxationes et fracturae; ambuſtiones (meminimus pueri 14 annorum, ab infantia ſcrophuloſi, qui in aggerem minerarum uſtulatarum procidens integram manum

manum dextram et maximam partem pedis, calcis et ſurae eiuſdem lateris ambuſſerat; die 12. quum iam in manu hinc inde ſanationis initia ſe monſtrarent, acceſſit febris et deglutiendi difficultas, 16. perfectus triſmus cum doloris in omnibus vulneribus abſentia, inde tetanus, die 18. mors); inflammatio et gangraena laeſionibus externis ſuperveniens.

Cap. IV. Lethalitas laeſionum diverſarum C. H. partium ſecundum harum ſitum et officia. p. 91. In genere nulla exiſtit pars corporis, quantum cumque nobilis, ſolo forte corde excepto, cuius laeſiones ſine omni diſcrimine ad hanc illamve claſſem lethalitatis reduci poſſint; ſed ſimul ad ſpeciem laeſionis, quouſque ea penetraverit, et quae circumſtantiae eam comitatae fuerint, attendi oportet.

A. *Laeſiones capitis.* In vivis prognoſis difficilis p. 93. et fallax; in mortuis lethalitatis cauſſae eo difficilius eruendae, quum quaedam earum ſub morte ipſa evaneſcant neque in cadavere ſenſibus pateant, neque praeſentium adhuc effectus facile determinari poſſit. Inter vulnera cerebri et cerebelli reſpectu lethalitatis nullum diſcrimen (vulnus cerebri non lethale, in quo inflictus globus poſt annum ad latus ſellae equinae inventus eſt, commemorat LE DRAN *)). p. 96. Fiſſurae et fracturae calvae per ſe mortiferae non ſunt, graviorum cerebri ipſius laeſionum ſuſpicionem movent, licet et hae ſine illis exiſtere poſſint: laeſionum igitur capitis periculum pendet a concuſſione cerebri, effuſione et ſtagnatione ſanguinis in cerebro et eius vicinia, inde ſaepe non avertendi abſceſſus cerebri eiusque membranarum inflammatio et ſuppuratio. p. 99. Poſt lapſum ab alto ſanguinem effuſum p. 100. coagu-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 299. ſeq.

coagulatum in cavitate praeternaturali ſub ventriculo anteriore ſiniſtro invenit Ill. Auctor (nos eamdem mutationem ſuper ventriculum dextrum poſt percuſſionem cum infima ſclopi maioris parte, illaeſa calva 10. die lethalem, femina laeſa per 12 horas noctu in ſylva, tempeſtate humida et frigida, ſub dio relicta). Vanitas praeiudicii de utilitate et ne-
p. 105. ceſſitate trepanationis, quam defenſores adeo urgere ſolent, diſtinctionisque inter inſtrumentum lethale et illethale. Exempla lentarum ſuppurationum
p. 106. cerebri (ubi non ſine dolore recordamur amiciſſimi
p. 107. REICHELII *)). Meritae SCHMUCKERI laudes in
p. 108. avertendis inflammationibus meningum. Inflammationes metaſtaticae non tantum in hepate, ſed et in aliis viſceribus, lethalitatem vix ullam niſi per accidens evincentes, ſimul vero ſecantes de diſquirendis cavitatibus reliquis monentes. Laeſionum capi-
p. 109. tis effectus chronici (cephalaeam diuturnam a laeſione externa, obſervatis tamen in cadavere aliis, quae in cauſſa forenſi iudicium omnino dubium redditum fuiſſent, commemorat b. DE HAEN **).

p. 110. B. *Laeſiones colli.* (Ad laeſiones vetebrarum colli conf. b. LUDWIGII programma de paraplegia
p. 113. ex fractura vertebrarum colli ***)). Vulnus punctura inflictum, per totum collum tranſiens, Argentorati ſine ſymptomatibus curatum vidit Ill. Auctor; aliud ibidem exorto a laeſa carotide anevryſmate intra
p. 115. aliquot hebdomadas lethale. Nonnunquam vulnera colli illaeſis etiam vaſis maioribus lethalia ob laeſionem nervorum paris vagi et intercoſtalium.

C. *La-*

*) Eorund. Vol. XVI. p. 714.
**) Eorund. Vol. IV. p. 90.
***) Vid. eorund. Vol. XX. p. 688.

C. *Laeſiones pectoris.* Vulnus gladio inflictum p. 116.
pectus perfodiens intra tres hebdomadas curatum vi- p. 118.
dit Auctor noſter. Laeſiones vertebrarum colli et p. 121.
medullae ſpinalis qualeſcunque vel *abſolute* vel ad
minimum *per ſe* lethales iudicantur, et quae HAL-
LERUS *) in contrarium adducit exempla, potius id,
quam lethalitatem *per accidens* probare videntur. In p. 125.
autochiro, vulnere ſclopetario in ſuperiorem pe-
ctoris partem penetrante et exterius omnia dilace-
rante, cor et aortam illaeſa, ſed huius annulum, ubi
ex ventriculo ſiniſtro egreditur, ſeparatum et peni-
tus nigrum invenit Auctor. Perpetuum motum cor- p. 128.
di ne minimum quidem eius vulnus, quam ſuperfi-
cium etiam cogitetur, admittere, quod excitata in-
flammatione non ſubito lethale reddatur **). Trans-
poſitio viſcerum, licet in viſo reperto annotanda, me- p. 129.
dici tamen iudicium mutare nequit. Vulnera dia-
phragmatis ſemper periculoſa (b. KALDSCHMIED in
reſponſo quodam ad ea crebrius a ſe curata provoca-
vit, quod aegre tulit b. LUDWIG ***)).

D. *Lae-*

*) *Vorleſungen über die gerichtliche Arzneywiſſenſchaft, II. Band, Bern* 1774. 8. *p.* 416.

**) Conf. b. BOSII progr. de vulneribus cordis in foro abſolute lethalibus, Lipſ. 1785. 4. Mortem ſubitiſſimam ex contuſione cordis a baculo memorat b. DELIUS in diſſ. Sugillatio quatenus infanticidii indicium, Erl. 1751. p. 20. Aegre tamen hic deſideravimus obſervationem Cl. OTTENROTH ſanabilitatem vulneris levioris probare ſatagentis, vid. Comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 641.

***) Pr. de cauto uſu exemplorum proſperae curationis ad definiendos letalitatis gradus, Lipſ. 1765. 4. p. 7.

p. 133. D. *Laeſiones abdominis.* Praefectum militum
p. 135. novit Ill. Auctor, cui globus ex tormento bellico e
p. 139. ploſus genitalia ademerat. Vulnera ventriculi *)
p. 147. Vulnera veſicae urinariae periculoſa, ſed non abſo-
lute lethalia, niſi urina aut ſanguine in pelvim re-
interſtitia muſculorum effuſis (meminimus iuven-
ſclopeto in regione hypochondriaca dextra directio-
obliqua vulnerati, ita ut ex loco laeſionis particu-
marginis inferioris hepatis, prope umbilicum auten-
mox ſub cute globuli aliquot minores (*Schrot*) ex-
merentur, unus vero eorum per urinam excerner-
p. 149. tur; vulnerato perfecte ſanato). Uteri retroflexio-
nem lethalem, morbo a chirurgo non cognito, vide
Ill. Auctor, in quo tentati abortus ſuſpicio fuerit.
Non ſemper violentiam externam abdomini gravidae
illatam fetui vim inferre, multo minus pro naeva-
P 151. rum cauſſa habendam eſſe. Uteri exſtirpatio (vide
exempla a nobis **) adducta).
p. 153. E. *Laeſiones extremitatum.* De abſoluta vale-
p. 155. rum cruralium lethalitate: propius a genu forſan mi-
nus periculum; in obſervatione Ill. AB ACREL ***)
arterias collaterales truncum facilius ſupplere potuiſ-
p. 157. ſe. Ex decem ad minimum vulneribus genu nul-
lum ſanatum vidit Auctor noſter.
p. 159. *Cap. V. Lethalitas laeſionum ſecundum alias determinationes accidentales.* Copia laeſionum internarum
vel externarum; aetatum et ſexus diverſitas, potiſſi-
mum etiam graviditas; temulentia et ira; locus in
quo laeſus relictus eſt, conditio aeris, anni tempo-
ris, tempeſtatis, conſtitutionis regnantis, loci in quo
medi-

*) Vid. FEID. GOTTLOB DÜRR de ventriculi vulnere egregie curato, Praeſ. Cl. HAASIO, Lipſ. 1790. 4.
**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXIV. p. 290.
***) Eorund. Vol. XXV. p. 197.

medicatio ſuſcepta; diſpoſitio corporis laeſi; tandem neglectus vel perverſa applicatio remediorum, erroresque in vitae regimine commiſſi.

Cap. VI. Suffocationes. Amplitudo et neceſſi- p. 165.
tas huius doctrinae. Vanus ſaepius metus viviſepulturae. Effectus ſuffocationis in pectore et capite. Strangulationis modi (ſingularem retulit nobis b. LUDWIG, ubi reus in carcere, ſublatis ſibi omnibus ad ſe ipſum interimendum adminiculis, emunctorium annulo ferreo, pavimento ad firmand s compedes infixo, alligaverat, illoque collo circumpoſito corpus torſerat; alius meminimus, qui taeniola ad girgillum feneſtrae alligata per eamdem apertam in plateam deſpicere viſus ſe ſtrangulaverat, praeſente nec aduertente alio captivo); eius ſignum ſugillatio in collo (de quo vide laudatum ab Auctore noſtro librum Cll. CHAMPEAUX et FAISSOLE *)). Vexatiſſima de morte ſubmerſorum doctrina: ſubita, praeſertim in iis, qui praecipiti in aquas lapſu pereunt, apoplexia; lentior catarrhus ſuffocativus poſt p. 170
irrita reſpirandi conamina. GOODWYNI hypotheſin alibi iam refutavit Ill. Auctor **). Epiglottis p. 172.
ſitum non mutat, neque ergo probabilem aquae in pulmones iutroitum prohibere poteſt. Diverſitas ſanguinis ab Ill. WALTERO aſſumta ***) ut ulterioribus obſervationibus confirmetur, optandum. Mors a vaporibus mephiticis vel catarrhus ſuffocativus, vel, quod frequentius, apoplexia: a fulmine probabiliter non ſemper una eademque, nec tamen facile aliter quam per apoplexiam vel catarrhum ſuffocativum con-

*) Eorund. Vol. XVII. p. 117 ſeq.
**) Eorund. Vol. XXXIII. p. 675.
***) Eorund. Vol. XXVII. p. 363. Conf. etiam Vol. XXXIV. p. 292.

concipienda; huc quoque, ſi vere exiſtere poſſet, mors ab aere per globum ex tormento bellico explo-ſum commoto referenda (de qua vide Ill. Auctoris chirurgiam nuper a nobis indicatam).

p. 177. *Cap. VII. Veneficia.* Diviſio eorum in externa et interna (prioris exemplum atrociſſimum nuperrime retulit Cl. MANGOR *)). Periodi, quas Cl. HAHNEMANN in venificio per arſenicum conſtituit **), in quocumque veneficio commode aſſumi poſſent, tribus ſpeciebus lethalitatis exactae reſpondentes. Femina, cui ex errore pulvis cantharidum loco temperantis porrectus fuerat, a ſymptomatibus funeſtis quidem liberata fuit, ſed per totam vitam debilitato nervorum ſuperſtite. (Exemplis effectuum huius illiusque veneni hic allatis tamquam memorabilibus adiungere liceat effectum opii ex relatione Cl. REINEGGS ***), aquae Goulardianae Cl. ROWLEY †), et emplaſtri de ſperm. ran. ab infante deglutiti Cl. WEDEKIND ††)). Negligentia maiorum in diſquirendis ſignis veneficii. (Perluſtravimus acta veneficii 1757. a matre imbecillioris mentis, uti ex iis apparebat, in filio epileptico eum in finem peracti, ne is, matre per mortem ſibi erepta, bello tunc graſſante ab omnibus derelictus, ob inopiam et epilepſiam, quae in comparandis quotidianae vitae ſubſidiis eidem maximo impedimento erant, contemtus, miſer

p. 182.

p. 184.

p. 195.

*) Eorund. Vol. XXXV. p. 242 ſeq.

**) Eorund. Vol. XXX. p. 233.

***) BLUMENBLCHS *med. Bibl. B. I d.* 383. *ff.*

†) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXIII. p. 233.

††) *Gemeinnütziges Wochenblatt phyſiſchen und medicinischen Inhalts — herausgegeben von* IOH. HEINR. RAHN, 1. *Jahrg.* 1. *Quart. Zürch* 1792. 8. *p.* 76. *ff.*

miſere periret; fecantes ventriculo eloto — fluidis in eo inventis non diſquiſitis — tunicam eius villoſam contractam, arroſam, hinc inde punctis ſanguineis aſperſam, et lapillos ſex invenerunt, pro mineris arſenici agnitos, quorum etiam quatuor adhuc ſectis adiuncta ſunt, reliquis forſan a medico diſquiſitis, quod ipſe in viſo reperto, a regiſtratura paſſim diſcrepante affirmat, licet nullibi de modo examinis vel verbulum occurrat; rea ſtatim ſcelus, uti iam diximus, faſſa, a defenſore quidem quadamtenus ob imbecillitatem mentis excuſata, ab ordine ICtorum autem, non prius in conſilium vocatis medicis, tanquam confeſſa et convicta capitis damnata et ſecundum hanc ſententiam etiam ſupplicio affecta eſt — documentum a SCHLOEZERIS PYLIISque poſteritati mandandum!) Experimenta in animalibus cum ſubſtantiis in ventriculo repertis inſufficientia; per concremationem aut deſtillationem, qualia Cl. EHRMANN ſuadet *), prorſus fallacia. Modi arſenicum p. 199.
detegendi, a Cl. HAGEN ſuppeditati: examen ope tubi ferruminatorii in carbone leviter excavato, quo vel quarta grani parte minor quantitas diſquiri poteſt, vapore albo et odore diſtincte percipiendis, ſi etiam arſenico partes alienae admixtae fuerint; ſal ammoniacus cupreus **); ſublimatio cum quarta parte ſulphuris; fuſio cum 4 — 5 partibus limaturae cupri; reductio reguli arſenici, optime per commiſtionem cum oleo unguinoſo et deſtillationem in retorta, poſt ceſſationem vaporum oleoſorum auctо igne, obtinenda. Mercurius corroſivus detegitur p. 202.
iniectione in prunas, praecipitatione ſolutionis in aqua calcis et alkali fixo et mutatione praecipitati per affuſam

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XXXI. p. 55.
**) Eorund. Vol. XXX. p. 242.

affuſam aquam hepatis ſulphuris, et additione mercurii crudi, coniunctione hac nigreſcente, ſi cum aqua calcis teratur; viride aeris, poſt ſolutionem in acido ſalis, affuſo ſpiritu ſalis ammoniaci vel alkali phlogiſticato, vel immiſſo ferro polito; vitriolum zinci (cum quo per incuriam peracti veneficii hiſtoriam Ill. Auctor alio loco *) expoſuit) per praecipitationem cum alkali fixo; vinorum per plumbum adulteratio aliaque per idem veneficia per liquorem probatorium HAHNEMANNI, cuius formula hic ſecundum praeſcriptum collegii ſupremi medici Berolinenſis exhibetur paullum diverſa ab ea, quam inventor ipſe tradidit **); tutior tamen omnibus reliquis modis evaporatio et reductio per adiectum pulverem carbonum. Veneficium per lapidem infernalem reductione; per terram ponderoſam, ſi occurreret, cryſtalliſatione poſt ſolutionem in acido nitri vel ſalis, et praecipitatione per affuſum acidum vitriolicum. Alii veneficiorum modi v. c. per vegetabilia, ſubſtantias liquidas, non adeo exacte eruendi, niſi ſymptomata mortem praegreſſa lucem aliquam affundant. Pocula odii, furoris, ſterilitatis, vix aſſumenda; curationes perverſae et errores in pharmacopoliis commiſſi; mors e fame vel per infortunium vel in infantibus neglectis aut male habitis (cuius nobis exemplum obvenit a vitrico, qui puerum plagis occidiſſe ferebatur; ſectio edocebat miſellum poſt variolas neglectas phthiſi tuberculoſa conſumtum eſſe, accedente tamen diro a parte parentum eiusdem neglectu, ad eiulatus ipſius clamoresque, ut vel tantillum panis ſibi porrigerent, obſurdeſcentium; aliud

*) *Materialien für die Arzneykunde und Jurisprudenz, Königsb.* 1792. 8. *p.* 122. *ff.*

**) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXX. p. 237.

aliud exemplum vidimus feminae in triſtiſſima annonae caritate 1772. fame enectae, in qua itidem mortis violentae a verberibus ſub mendicando acceptis ſuſpicio fuerat).

Cap. VIII. Autochiria et dubia mortis genera. p. 110.
Prior ad medicinam forenſem ſpectat, quatenus aut eius certitudo aut cauſſae corporeopſychologicae eruendae ſunt. Autochiria involuntaria huc non referenda. Autochiria duplici laeſione peracta: Ill. Auctor autochirum vidit, qui aſpera arteria prorſus, oeſophago ad dimidium diſciſſis poſt trihorium ex lecto ſubito ſe proripiens ad feneſtram properaverat et per eam ex quarto domus tabulato ſe praecipitaverat (ruſticus ſeptuagenario maior, pro ſuo rerum ſtatu opulentus, prima belli ſeptennis hyeme de rebus ſuis deſperans, iugulum diſcindere ob cultrum obtuſiorem fruſtra annïſus, hunc in trabe reponit et proxime ad eundem locum laqueo ſe ſuſpendit; praefectus militaris in pediluvio vaſa utriuſque pedis diſcidit poſteaque ſub eodem ſitu globum ex ſclopo minore exploſum per pectus traiecit). Mors a vulneribus ſclopetariis (ea tamen, quae pulvere pyrio ſolo efficitur, orificio tormenti ori immiſſo non memorata). Quis ex pluribus una mortuis primus exſpiraverit: inter coniuges, praecipue in caſu ſuffocationis, ceteris paribus praeſumendum pectus virile fortius ampliusque diutius femineo reſiſtere potuiſſe (caſum feminae cum filiabus in flumine merſae exhibet b. PLAZIUS **), in quo nihil certi ſtatui poterat). p. 225.

Sect. III. Cap. I. Monſtra: dicuntur „corpora ab hominibus quidem progenita, ſed a figura huma- p. 229.

**) Progr. de ſignis mortis non ſolute explorandis Spec. I. Lipſ. 1774. 4.

na multum diſcrepantia, et ſaltem uſque ad tempus partus ſaepe etiam poſt eum viventia"; minores aberrationes ſub naevis comprehenduntur, neque ad obiecta medicinae forenſis pertinent; diſtinctio inter monſtrum, oſtentum, portentum et prodigium ſuperflua.

p. 232. *Cap. II. Partus immaturi.* Monitum de cau-
p. 237. to uſu anthelminthicorum et diureticorum (ſabadilla et uva urſi nominantur) in gravidis. Cautiones in diiudicandis molis.

p. 241. *Cap. III. Partus praematuri et ſerotini.* Pon-
p. 244. dus et longitudo infantum recens natorum fallaces
p. 255. maturitatis indicia. Terminum partus non ultra 280 dies ſtatuendum eſſe.

p. 257. *Cap. IV. Gemelli et partus ſuppoſititii.* Ultimi caſus exemplum, marito acquieſcente, nonniſi poſt mortem infantis ad iudicium delati.

p. 260. *Cap. V. Infantes recens nati mortui reperti.* Iuſtus b. CAMPERI *) laudes; acrior HUNTERI **) cenſura. Optandum, ut caput de infanticidio numquam in compendia medicinae forenſis receptum fuiſſet; enecationem infantis factum eſſe, quod ad medicum forenſem prorſus non attineat. De docimaſia pulmonum exactiſſime, uti exſpectari poterat ab Ill. Auctore: intel-

*) Gedagten over de misdaad van Kindermoord — Leeuwarden 1774. 8. *Abhandlung von den Kennzeichen des Lebens und Todes bey neugebornen Kindern — Aus dem Holländiſchen überſetzt — von* I. F. M. HEBBELL. *Frankfurt u. Leipz.* 1777. 8.

*) Vid. Comm. noſtr. Vol. XXXII. p. 299. Germanica verſio tractatus eius exſtat in PYLS *neuem Magazin. B.* I. *St.* 3. *Sammlung zum Gebrauche praktiſcher Aerzte, B. XI.* et *Neuem Magazin für Rechtsgelehrte. Heft* 2. *Leipz.* 1786. 8.

intelligit ſub ea „ſolertem per tentamina et accura- p. 263
tas comparationes inſtituendam diſquiſitionem con-
ditionis pectoris, pulmonum vicinarumque partium,
per quam ad factam vel non factam reſpirationem in-
fantis recens nati mortui concludi poſſit“. Reſpi-
ratio nonniſi infante ad coxas uſque aeri externo ex-
poſito poſſibilis. Poſt egreſſum ex utero materno p. 265.
pectus convexius fit, licet reſpiratione non ſemper p. 267.
protinus ſubſequente. Mutationes in ductu arterio- p. 268.
ſo, foramine ovali, vaſis umbilicalibus et canali ve-
noſo non attendendae, quum plus temporis requi-
rant, quam plerumque inter primam reſpirationem
mortemque infantis effluit. Hiſtoriae litterariae do- p. 270.
cimaſiae pulmonum ſcriptores. Requiſita eiuſdem: p. 271.
aqua pura frigida in vaſe apto; ſana corporis, prae-
ſertim pulmonum, conditio; capacitas pectoris, ex-
panſio et color pulmonum et reliqua praegreſſae re-
ſpirationis ſigna ſimul attendenda; pulmones primum
cum adhaerente corde, poſtea ſoli aquae imponendi;
iidem in fruſta conſcindendi et denuo experimento
ſubiiciendi, expreſſo ex ſingula particula ſanguine ſtag-
nante; ſtrepitus inciſis pulmonibus reſpiratione ex-
tenſis percipiendus, abſens in pulmonibus mortuo-
rum natorum, putreſcentibus, forte etiam arte in-
flatis; ſanguis in pulmonibus reſpiratione expanſis
reſiduus, deficiens in inflatis, item poſt haemorrha-
gias. Obiectiones refutatae: 1) aeris ſine praegreſſa p. 278.
reſpiratione praeſentia per inflationem vel putredi-
nem: pulmones tardius reliquis viſceribus putredine
tanguntur, et docimaſia commode inſtitui poteſt pul-
monibus externe tantum ab ea affectis, veſiculis ae-
reis ad inciſuras loborum decurrentibus antea digitis
compreſſis; has veſiculas magis in infantibus, qui p. 284.
ſub aqua, quam qui in terra putruerunt, obſervaſſe
ſibi viſus eſt Ill. Auctor; perfecta tamen putredo to-
tius corporis, ideoque etiam pulmonum, obductio-

p. 288. nem impoſſibilem reddit. 2) pulmonum poſt reſpi-
rationem collapſus et prior compactio gravitasque,
aut exitus aeris ingreſſi per fiſſuram accidentalem,
aut pulmones ab impulſi ſanguinis pondere graviores
p. 291. redditi, quos tamen ſemper nataſſe conſpexit. 3)
vitam extra uterum ſine reſpiratione nullam eſſe, nec
reſpirandi conatus in fetibus inprimis praematuris
vitam dici, nec fetus membranis incluſos in lucem
p. 294. editos huc referri poſſe 4) inaequalem pulmonum
expanſionem imperfectam, et hanc vitam ambiguam
probare; inflammationem aut infarctum mucoſum
pulmonum nonniſi hypothetice poſſibilem eſſe (re-
ſpirationis dextrilaterae exemplum etiam exhibet Cl.
MALER *); huc quoque referri videtur caſus enar-
p. 296. ratus a Cl. KECK **)). 5) fetum in utero, poſt-
quam aquae defluxerint, aut capite tantum nato, re-
ſpirare non poſſe, licet ſub partu ipſo lethalitas poſ-
p. 298. ſibilis ſit. Novae methodi Cl. PLOUCQUET ***) et
p. 301. DANIEL †) minus commendabiles. Veſicae urina-
riae examen minus ſufficiens, non tamen prorſus ne-
gligendum, praeſertim ubi ſuſpicio adſit, pulmones
inflato

*) *Mediciniſch-gerichtliche Beobachtungen — geſammlet von* CHR. LUDW. SCHWEICKHARD, *II. Theil, Straſsburg* 1789. 8. *p.* 149. *f.*

**) *Abhandlungen aus der praktiſchen und gerichtlichen Arzneywiſſenſchaft, Berlin* 1787. 8. *p.* 107. *ff.*

***) Diſſ. Nova pulmonum docimaſia, Tubing. 1782. 4. ulterius explicata in EIUSD. Comm. med. in proceſſus criminales ſuper homicidio, infanticidio et embryoctonia, Argent. 1787. 8. Sect. 2. §. 109 ſeqq.

†) Primo in BALDINGERS *Neuem Magazin B.* 2. St. 1. *p.* 42. et fuſius in Commentatione de infantum nuper natorum umbilico et pulmonibus, Hal. 1780. P. 2. p. 3. §. 35. ſeqq.

inflato aere expanſos fuiſſe. Sugillationes tunc de- p. 303.
mum admittendae, ubi alia indicia violentiae conſul-
to adhibitae ſimul adfuerint. Varices nodosque fu-
niculi umbilicalis mortis infantis cauſſam eſſe poſſe*),
quam maxime abſonum Auctori noſtro videtur.

Cap. VI. Genera mortis infantum recens nato- p. 305.
rum. Neceſſitas omnia momenta partum praegreſſa
et comitata ſollicite conquirendi, antequam de mor-
tis genere iudicium feratur. Diſtinctio ſecundum b.
WITTNERUM in aperta et ſubtiliora. Ani quoque et p. 309
oſſis ethmoidei diſquiſitio neceſſaria. Funiculi um- p. 312
bilicalis neglecta deligatio nonniſi corde et vaſis maio-
ribus vacuis incuſanda; ſanguinis in corpore reſidui
pondus examinare velle ſuperfluum.

Sect. IV. Cap. I. Morbi ſimulati. Huc etiam p. 317.
morbi vere externi referendi; quorum origo ſuſpicio-
nem movet. Exemplum feminae epilepſiam ſaepe ſimu- p. 320.
lantis, tandem vere ex acquiſito hoc habitu epilepticae
redditae. Modi epilepſiam fictam detegendi; potiſſimum
pulſus et oculorum ratio habenda) ſingularem metho-
dum a carceris cuſtode adhibitam narrabat b. LUDWIG:
alapa morbum ſimulanti inflicta protinus globus ex ſa-
pone paratus ex ore eius exiliit). Epilepticis matrimo- p. 323.
nium numquam concederet Auctor noſter; potius
ſorte tentamen, quid in alterutro ſexu coitus effice-
